A 248

Bocatius Johannes: Castra temperantiae.
Bártfa 1597. Szabó II. 265.

Kolozsvári volt ref. koll. RMK 107b.

CASTRA TEMPERANTIÆ.

vel

EXERCITIA

POETICA, QVAE LEPIDIS ALIQVOT ET FESTIVIS epigrammatis crapulam, Ebrietatem, potationem, & vicina vitia oppugnant, detestantur & eiurant.

Per

IOANNEM BOCATIVM Epperiessini in Hungariâ superiore exarata.

His interiectæ sunt clarorum quorundam hominum suppetiæ.

Lucæ 21.

Cauete vobis, ne quando grauentur corda vestra crapulâ & ebrietate.

Esaiæ 5.

Væ qui potentes estis ad hauriendum vinum, & viri fortes ad miscendam siceram.

BARTPHAE.
Imprimebat Iacobus Kles.
1597.

COLLEGII REG. COLL.
1671
CONVIVIARA

LECTOR AMICE,

DE DVOBVS ES MIHI PRImùm admonendus, ne præiudicio me damnes, & quædam legendo morosum & asperum te præbeas. Alterum huius materiæ causam & occasionem te doceat velim, quæ talis? aliquandiu Platonis fui discipulus, & semel solùm de die vesci libuit, quod non obtinuit apud me superstitio, sed stomachi mei debilitas & ipsæ Musæ. Hoc deinde (sic medici clarissimi voluerunt) mutaui, & instituto me alij sacraui, voto sanctè Deo facto. Ebrietatem enim, blandum Dæmonem, Syrenem suauissimam & illius filios detestor & execror, gulam etiam, vitæ charybdin, penitus ciuro. Christianus es? ne improba. Reliqua quoque moris erunt mei. Alterum habeas? quod honesto zelo ductus in vitia cordatius inuehor, non est suspiceris, calorem hęc mihi primum extorsisse, honestate & probitate mâlo meos canes vindicare, quàm ira, neminem impeto, licet in liberâ sim ciuitate, morte huiusce sæculi castigo, vt qui cognoscant, vltrò corrigant. Pro me stat illud:

licuit semperq; licebit
Parcere personis, dicere de vitiis.

COnsule poëtas veteres & recentes, idem faciunt. Caniculam me propterea nun-

expandum censes? falleris. Quod dextrâ tradidi, tu ne sinistrâ accipias, nihil interest. Noli me temerè iudicare; si bonus esse Apud cæteros (quis enim omnibus vnquam satis fecit?) conflet hoc inuidia, & odium, nihil moror.

At tu nitor eadem, & dilectissima semper
Carpere vel nolit nostra, vel edere vita.

Esti metius.

EPISTOLA.

EPISTOLA.

GEORGII HOFMANNI, SAC. Cæs. Regiæque Maiestatis Consiliarij ad Ioannem Bocatium.

DERCVRRI TVA CASTRA: Deus bone, quàm scitè, quàm vtiliter disposita omnia: quàm valida, & quàm multa ad conficiendam hostem illum tuum, imò omnium conquisita armorum genera. Mitto & ego, vt voluisti, militem, sed cyronem inermem, imbellem, imperitum: non inter legionarios ipsos tuos peritos & exercitatos, sed inter calones & lixas referendum. Quisquis tamen est, bene consulas, cùm heri primùm literis tuis sub vesperum redditis, iustum mihi ad armandum eum tempus defuerit. Benè vale. Castouiæ 29. Martij. Anno 1597.

EX EPISTOLA FRIDERICI A SCHLIBEN, L. Baronis, ad Ioannem Bocatium.

PVSCVLVM TVVM, CVI titulus Castra temperantiæ, tibi remitto, & hortor, vt quàm primùm fieri potest, lucem videat, & in plurium perueniat manus, cùm quia pia

est & Christiano poetâ perquam digna materia? tum quod in eâ facis officium à tuâ professione non alienum. Siquidem dulci quadam mixturâ iocos honestos seriis adspergis. Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. Fac par exemplarium breui recipiam. Vbi ego vicissim tuis commodis consulere potero, tui me studiosum & amantem experieris. Noua, si quæ vobiscum, ad me perscribas. Vale decus poetarum. Datum ex arce nostrâ Hohenstein. 13. Cal. Martij. 1597.

GEORGII HOFMANNI
Cæsarei Consiliarij.

FRugalem laudas, BOCATI, carmine vitam,
Et nimio Baccho grandia bella moues.
Iusta tibi sententia: iustè hæc induis arma,
Hostem tam validum tollere iure paras.
Hæc hominum fax est, hæc est dirissima pestis,
Quæ subitâ multos clade perire facit.
Debilitat vires, fortissima corpora sternit,
Nec sanæ quidquam mentis habere sinit.
An quia dissidium mihi iam natura creauit,
Cum Baccho, mandans abstinuisse mero,
Idcircò falsum credis me texere crimen,
Nec quæ disserui commeruisse fidem?

Has

Has vrbis Troiæ senserunt mœnia tedas,
His rex Belsazar cladibus interiit.
Magnus Alexander, totum qui vicerat orbem,
Hoc vno victus vulnere succubuit.
Sed tragica hæc prisci meroro quid tempora seculi?
Ostendit virus quælibet hora nouum.
Dignus laude labor, BOCATI, ast ardua tentas,
Vincere qui tantum vis ratione malum.
Perge tamen doctis hostem oppugnare Camœnis,
Tollere si nequeas, parte fugare iuuat.

BRVNONIS SEIDELII
Doctoris.

AD NOBILIVM ET DOCTISsimorum virorum collegium
ἀμέθυσον.

CLitorio quicunq; sitim de sonte leuarit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius vndis:
Quiq; mero commixta bibunt tribus vsq; diebus
Ova, tenebrosis peperit quæ noctua nidis,
Tædia concipiunt vini: sed credula quondam
Tradidit hæc frustra demens errore vetustas.
Talibus auxiliis animi vitiosa cupido
Haud regitur, præuaq; sitis non tollitur ardor:
Non si fœcundis nudatos vitibus agros
Deflolies (fecit quod tristis legibus olim

Immeritæ violans telluris dona Lycurgus)
Te bibulo, ventriq; modum, metamq; palato
Insano posuisse putes. Nam crimine facta
Luxuria ingeniosa suo est, quantumq; negatur
Copia temeti, tantum frumenta coquendo
Gaudentem potius Cererem fluuialibus vndis
Conficiet Baccho certantem viribus æquis.
Ergò via recta fontûm præcludere riuos
Tam turpeis decet, & iustas adhibere medelas,
Nostra quibus nimium deformia secula sordent.
Inprimis bibulos homines facit ipsa voluntas:
Illam mandatisq; Dei terrendo coërce,
Consilioq; domans recta ratione guberna,
Incipe velle bonum, laudatos arripe mores,
Teq; ipsum vincas, animi victoria summa est.
Hæc est pugna prior, quam si pugnare recusas,
Quilibet incassum recidet labor & Lernæ
Comperies Hydræ capita augmentata renasci.
Hanc inière viam socij, quos nomine fama
Euehit egregio, qui docto pectore laudes
Eximias peperére sibi, dum sædere certo
Vn animes coeunt, & sobrietatis amorem
Damnatum exilio Germanis finibus olim
Vsum in communem pulsa ebrietate reducunt.
Este viri fortes, video mox agmine denso
Inuidiam, vocesq; malas vos tendere contra.
State rei voti, nec cæpto absistite pulchro,
Exemplisq; bonis populi præcedite mores,
Vt capere incipiat moderatis pocula dextris.
Non opus est vota mihi, qui mala plurima passus,

Sustineoq; graues odiorum sæpè procellas,
Quòd madidis absum cœnis, quòd abhorreo mensas
Tantum compositas in prælia dira bibendi,
Inde mihi longi Soles viuuntur, & horæ
Sæpè abeunt solæ sine conuictore modesto,
Non nisi qui sitiens potum petat, atq; superbum
Imperio frugi mecum compescat Iacchum.
Sed simules vestri multos nimis opto sodales,
Ac suspiro dies conuiuia læta daturos,
Qualia Socraticis laudauit in ædibus hospes.
Interea placeat quæso consensus honestæ
Isterei noster, vobisq; adscribar amicus.

EPISTOLA.

EZECHIELIS HEBSACKERI. P. Epperies. ad Ioannem Bocatium.

P. S. D. Castra tua, Ornatissime Domine Rector, & collega perchare, temperantiæ & sobrietatis nomine insignia, quantâ potui, sub hac negotiorum mole, industriâ pertransij, nihil inexploratum me præteriisse arbitror. Militem veteranis tuis adiungo seruilem, gregarium, hirsutum, & in armis minus acrem, aptiorem fore confido, si in castris tuis aliquandiu stipendia fecerit. Pugnemus vterque, ego voce, tu versu & scripto, contra hy-

dram hanc Iernæam (ebrietatem dico) multorum vitiorum scelerumque capitibus fœcundam, iuxta illud: ὁ πολλὰ πίνων, πολλὰ ἐξαμαρτάνει hinc Basilius: μέθη πνεῦμα ἄγριον ἀποπνίγει, καρπὸς μὲν γὰρ ἀποπνίγει μέλισσας, χαρίσματα δὲ πνευματικὰ ἀπώλεσε. Et P. M. dicere solitus est: *Wir teutschen sauffen vns kranck, arm, vnd in die hell hienein.*

MILES EZECHIELIS HEBsackeri P. Epperies. in Castra Bocatiana missus.

EBria, dispereat, Bachi qui castra tuetur,
Atque Epicuræos qui beat ore sues.
Dulcia diuorum nascuntur munere vina,
His vt mortales tristia corda leuent.
Hinc haurire merum mœstos, sacra pagina mandat,
Cura quibus mordax pectora mœsta grauat.
Nec Deus ipse meri moderatos improbat vsus,
Nec damnare piùm sobria pocla iubet.
Omne bonum quod mundo habet, corrumpit abusus,
Quem damnare licet, quemq; probare nefas.
Hinc tua collaudo, doctissime, castra, Bocati,
Contra vinosos, quæ pia bella, mouent.
Oro tuis, pergas, stygium impugnare colubrum,
Armis, terrigenas qui ebrietate necat.

VI

vt tuus in scripto, vinosis, prælia, miles
Infert, condemnans ebrietatis opus:
Sic ego derostris templi, certamen in ibo,
Impugnans malidam, voce sonante, luem.
Sobria sic tua castra sequar dum vita manebit,
Sobrius vt semper / Ebrius vt nunquam } sim, pie Christe iuua.

Ezechiel Hebsacker
manu propria.

MAGNI.

MAGNIFICE ET ILLVSTRIS DOMIne, Simon Forgacz, Cæsarie Consiliarie, Pincernarum regalium in Hungariâ Magister:

GENEROSE ET EGREgie, Christophore Darholcz.

VOBIS HASCE MEAS, VT insabrè concinnatas pagellas, amicorum hortatu, sacro atque dedico. Tibi, quôd inter præcones tuæ virtutis aueam esse, quâ præ sexcentis aliis ordinis tui corruscas, & iure φαεσφόρου τῆς σωφροσύνης (piam grauitatem, & cordatam sobrietatem intelligo) nuncupari iam diu meres.

Tibi, me quòd æstimes, imò literas humaniores mecum in deliciis tuis reponas. Deus bone, quàm humanitatem illam tibi tuam satis gratulari nequeo, repperi te coràm licet ægro corpore, in libris & chartis, assiduum, accubuum, vidi lubens, & non tàm in Aulâ, quàm in Helicone tuo cœnaui. O corporis & animi, profectò non dicam escas, sed Ambrosiam, recordor: ad Loron illam semper mihi animus. Verùm habeto tu diu, quæ ego non possum. Sic aio: Rei tu grandioris, quàm famæ.

Vtrumqué iam vestrûm oro, tàm vos in me meosqué benigni & beniuoli semper, & gerras has Philosophicas vestrâ seriâ fronte suscipite, dum paullùm noster Boreas se quieti, vos animos, iam sanè meritò per calamitatem publicam turbatos, tranquillitati ego, quondam candidâ Deâ fors adiutus, me feriis dedam, nam, nisi heìc vos gemina sidera ab huius belli tempestate parumper abduco, mihi nebulas obduco: sed sub patrocinij ac tutelæ vestræ tecto, vel nimbos non formido. Me iam vsurpate, me contra dentatam illam furiam defendite, vos Deus æternùm, à quô saluete, cui, sicut patriæ, & mihi Valete. Dedi Epperiesini: Mense Aprili, Anno M. D. XCVII.

Ioannes Bocatius.

IOACHI.

IOACHIMI GOLTZII P. Cremnicensis.

MArtius arma gerit miles rutilantia, pugnam
Pro patrijs iniens legibus atq; focis.
At tu, BOCATI, peramicæ Palladis arma
Fers, miscens Musis prælia grata sacris.
Dum calamum stringis, vitiorum castra peritè
Impetis, educens agmina pulchra virûm.
Et contra magno virtutum castra labore
Munis, vt nulla hæc vis violare queat.
Mortifero inprimis iam conficis ebrietatem
Telo, quod Baccho turba dicata dolet.
Te duce sobrietas redit ex certamine palmam
Gestans? ò cunctis res benè grata bonis.
Magna quidem laus est, patriam defendere dulcem,
Proq; suis fuso sanguine velle mori:
At decus haud minus est vero virtutis amore
Ducier, & vitiis bella parare vagis.
Sic animis etenim multis succurritur ægris,
Vt detestentur crimen amentq; bonum.
A cunctis igitur meritâ celebrabere laude,
Qui tua, BOCATI, bella peracta legent.

MATTHÆVS DRESSERVS.

NOs homines, quibus est ratio ac oratio, tauros
His etiam brutos vincere nonne decet?
Bos & vacca bibunt, quantum natura requirit,
Quando iubes vltra, nil quoq; fuste iubes.

Ne

Ne facis ergo piè, benè, vates docte BOCATI,
Quod, quid nos deceat dedeceatq; mones.

VIRTVTE DVCE,
COMITE CRVCE,
pedissequâ
victoriâ.

HEVS CHRISTIANE.

MŒsta iacet virtus, laxata ferocia crescit,
Infelix pietas iussa tacere perit.
Mars, mors, dira fames isto grassantur in orbe,
Est hoc pòl misero tempore dulce nihil.
Scilicet hæc meritis ita fiunt omnia nostris,
Vt sibi quisq; Deus, sic sibi quisq; lupus.
Cùm foret irati placandus Numinis æstus,
Fecimus (heu) stygio sacra operata DEO.
Hoc est, sacrilego quod iam fuit æquior hosti,
Ac dedit Eois læta trophæa Getis,
Cum facerent alij fera sæuis prælia Turcis,
Certamen nobis acre bibendo fuit.
Vt fortuna istis benè vix rideret in oris.
Quæ tùm luxuriæ signa fuere nouæ?
Heu, dixi, quàm nos victoria decipit ista,
Ludit in Hungaricis rebus, amice, Deus.
Hæc sors in gyrum se vertet, & hæcce sequentis
Gaudia principium nostrâ doloris erunt.
Sic ego: sed nimium fuit heic mihi Musa prophetis,
Hæc nimis est velox dicta secuta fides.

Ecce

Ecce (dole Pannon, bibuliq; dolete Alemani)
Spe citius, voluit non ne quod hostis, habet?
Nec mora, ni sapies, iam nunc Germania tecum
Res erit: ô fatum disce timere tuum.
Incipe sic mutare tuos, Alemania, mores,
Incipe nobiscum tam pia velle sequi.

INVITATIO IN HANC militiam.

FLos hominum, quem Pegaseis produxit in hortis
Semper Apollinei sedula cura fori,
Huc ades, in mea castra veni, si forsitan error
Traxit in ambiguos ex Helicone locos.
Si quem Castalio deduxit ab amne lacunas
In bibulas, quales Liber amare solet.
Dux ero non segnis: nec enim mihi gratia Bacchi
Tanti, vt plus Phœbum non redamare velim.
Me iaculis Phœbus donauit, & ægide Pallas,
Ne Bromius cornû me petiisse queat.
Acer Apollo iuua, miles succurre Minerua,
Vt mihi turba truci pareat vda manu.
Sacramenta mihi simileis consortia mores,
Et Parileis nisus vos socia arma date.
Non facile est Lapithas Cereri, Bacchoue litantes
Vincere, nodoso rem quia fuste gerunt.
Vidistine sues omnes citò surgere porci
Vnius ex irâ, consona bella geri?
Sic, faciente vno grunnitus, millia cursant
Multa virûm: ô adsis fortis vterq; Deûm.

ALIVD.

ALIVD.

HVc age, quisquis aues mississe renuncia cœno
Barbariæ, & vulgo linquere quisquilias.
Heic ego casta, Dei iussu, tentoria fixi,
Militiæ scribo sobria membra nouæ.
Non hæc Enceladi sunt castra, sed ipse Michaël
Dux cœli est auso summa caputq; meo.
Si nescis hostes, faciunt mihi bella, Deoq;,
Cum sociis Bachus Thyrsiger, atq; Ceres.
Cyclopesq; petunt cœlestia regna vicissim,
Capripedes, Fauni, non minus arma gerunt.
Ista Medusææ sunt pernicioſa cohorti,
Et, nisi vincemus, Musica sacra iacent.
Arma, viri, arma etiam contraria ferte domatine.
O veniant classi millia multa meæ.

MAGNIFICO ET ILLVSTRI Simoni Forgacz de Gimes, &c.

THracia quem didicit, quem suspicit Hungara tellus,
Nobiloris aue Martis & artis honos.
O decus, ô princeps magnatum, te quoq; paullùm,
Da mihi magne Simon, da generose Simon.
Hîc quia bella paro castris, disponere turmas
Tu doceas, posim quâ ratione meas.

Conſule te ſuit in dubij diſcrimine belli
Et ſæpè indiciis uſa iuuenta tuis.
Macte hâc canitie ſolerti hèic inſtrue inertes
Inſtrue, quæſo, meas in noua bella manus.
Sæpè redit victis animus: ſine proxima damna,
Differt non auffert tempora læta Deus.
Tempus erit, (clades modò noſtra domeſtica ceſſet)
Occidat vt noſtro Gogquè Magogquè ſolo.

AD GEORGIVM HOFMANnum Conſiliarium Cæſareum de illius milite in mea caſtra miſſo.

MAgne vir, huic merito & ſtudiis flos vnice terræ,
Ardua Cæſarei cura decuſq; fori.
Quem mihi miſiſti nuper fortiſſimus heros
Militiæ nomen iam dedit ille meæ.
Claſſica quàm primùm cecini, vento ocyor, arma
Induit, & citò me fulgidus ante ſtetit.
Cumq; meum luſtrarem exercitum, is vnicus omneis
Anteit, vt reliquas Heſperus ipſe faces.
Belligerandi omnes rationes callet ad vnguem,
Cum dubiâ Martis ſæpè phalange fuit.
Hinc mihi non tyro, ſed longùm exercitus armis,
Strenuus excellens & veteranus erit.
Addo quod hunc omnis virtus confluxit in vnum,
Sicut in Oceanum confluit omnis aqua.

Quis ſibi iam bibulas miles conſtringit habenas?
Ne certet plenos euacuare ſcyphos.
Plus Macedo egiſſet, ſi ſe ipſum vincere noſſet,
Prob tantum paterâ poſſe periſſe ducem.
Ille meris autem cocliſue abſtemius vndis
Gaudet, & excubias pro grege ſolus agit.
Luxum odit, peſtemq; fugit pigræ otia vitæ,
Nil ſibi deſidiâ turpius eſſe putat.
Principis officium non militis ergo tenebit,
Vt monſtret bellum, quâ ratione geram,
Caſtra mouebo breui tandem, &, Chriſto auſpice, turmas
Conſeram ad hoſtiles dura per arma manus.
Si me ſors ſignis referet victricibus, huice
Acceptum referam læta trophæa Duci.

AD EVNDEM DE DONO MISſa mihi pecuniâ & commeatu.

VT ruptis nemo tellure incedere neruis,
Viribus & motu deficiente, poteſt.
Bella ita nulla geri poſſunt ſine diuite cenſu,
Plus adeò innumeris viribus æra queunt.
Tum malè pugnat, vbi ſua vix ieiunia portat,
Cùm ſatur eſt melius prælia miles init.
Imperat is timidè, gelidè ſtipendia quisquis
Soluit, & officio quem retinere poteſt?
Hoc tua cùm potius ſollertia nouerit, armis
Adiunxit nuper, large vir, æra tuis.

Quæ Transſyluanum reſerunt in imagine Achillem,
Sit mihi cum tanto vt ſors quoq; tanta duce.
His & plura aderant, belli quibus indiget vſus,
Dira fames abigi ventre latrante ſolet.
O generoſe Heros, ſat in his exercite ſatis,
Qui potero meritis digna referre tuis?
Me tibi ſacrifico, tibi Muſas mancipo noſtras,
Te duce dux, & te ſoſpite ſoſpes ero.

NICOLAO ORLAI CAE-
ſareo Conſiliario, abſtemio.

CVra gerendarum quæ ſis rerum publica Athenis
Incubuit, nunquam pocla bibêre meri.
Lex quia ciuilis ſic ordoq; ſanxerat vrbis,
Ne quis in officio noxius inde ſoret.
Delirat quoniam vino prudentia regum,
Et Baccho ſortes occubuerè viri.
Scilicet eſt aliquid, vulgò parère potentes,
Sed cordatus homo nil niſi ſpontè facit.
Qui, de more, lares extra ſe frænat & intra,
Illuſtri meruit vir reſidere throno.
Nam ſimulare poteſt virtutem hanc ruſticus omnis,
Mortalis Deus eſt qui pia ſpontè facit.
Qualem tute offers mihi certè emblemate viuo,
Magne vir, Hungarici ſplendida ſtella ſoli.

Summa tuæ incumbunt fidei, illa negocia vt aulam
Cæſaream clarent vina merumq; fugis.
Damq; alij ad menſas madido certamine gliſcunt,
Tota animos verſat ſobria cura tuos:
Vt commune bonum creſcat, capiatq; Rodulphi
Incrementa ſolum, damna ſed ampla Getæ.
Omnibus hinc facileis das compellantibus aures,
Hinc ſedet in labris mellea ſuada tuis.
Salue virtutis ſpecies emblemate viuo,
Magne vir, Hungarici ſplendida ſtella ſoli.

ΦΙΛΟΣΩΦΡΟΣΥΝΗ,
ad
GEORGIVM HOFMAN-
num Conſiliarium Cæſareum
& abſtemium.

AN dubitem, an credam? creſcit prudentia vino,
Non ſapiunt facileis qui venerantur aquas.
Cenſuit hoc olim quidam. non fidam ego, vel ſi
Suada hoc oripotens diceret ipſa mihi.
Heic mage ero Thomâ, mihi crede, incredulus, & me
Diſcipulum Pyrrho iam velit eſſe ſuum.
Cur vetuêre ſuis faſces hoc regibus olim?
Cur oluit nullum curia multa merum?

Cur Rex ille omnes iuſſit proſcribere vites?
Cur lex ſunt Getico dona Lyæa ſolo?
Non dubito, ſed credo: perit prudentia vino,
Et Salomon Morychum, cùm bibit illa, ſapit:
Cæſaris ô fidum cor, nonne, Hoffmanne, ſateris
Me ſatis heû Genio dicere digna tuo?
Te ſimplex iuuat humor aquæ: ſunt nauſea Bacchi
Munera, at ipſa tuo Pallas in ore ſedet.
Quid loquar ingeniũ? doctas quid acuminis artes?
Quàm ſis conſiliis, ore, ſtiloq; potens?
Quàm tua difficileis ſollers induſtria cauſas
Expediat? probitas quæ tibi? quanta fides?
Plus aliis tu mille vides, præuiſor & auceps
Temporis, vt ſpeculâ luce ſagace notas.
Sed ſua quem virtus commendat, an indiget ille
Ellogio? ô ſalue, magne vir, atq; vale.

CASPARI FRANCO CÆSARI à rationibus latinis.

ARdens calor fert carmine ſobria
Non vſitato dicere prælia.
Hæc dum cano mihi parumper
Sleſiades date vos Camœnæ.
Tu, FRANCE, vates optime, Cæſaris
Si ſorte res non impediunt graues
Emunctiore, ceu potes, me
Verſiculo decora magiſter.

Si credis, auſim ſcribere copias,
Quot te videbo ſcribere litteras.
Ride, vel eſſe digna riſu
Perneget ingenij tui flos.
Me, Caſpar ô, turmis animes tuis,
Autoritatis plus ſiet vt meis,
Nam caſſidem dabis regenti
Agmina, ſed clypeos phalangi.
Si me triumphus cum ſpoliis domum
Victrice ſortunâ generoſior,
Vt ſpero duxerit ſecundum,
Qualia te remanent magiſtrum?

EPIGRAMMA CASPARIS FRANCI DE Laſciuiâ puellari.

QVæritur: hoc ævo viduam præ virgine multi
Cur ſocij cupiant ad ſacra iura thori?
Nempe puellarum tanta eſt laſciuia, multæ
Et pro virginibus nuberè ſæpè ſolent:
Quæ ſi non vterum geſſerunt ante: Supinæ
Aut iuuenem, aut habilem ventre tulêre virum.

AD MICHAELEM WIRT.

ILla nec eſt prudens nec ſat rèſpublica felix,
Cui vinoſa præeſt curia.

Nil præcepta iuuant ni ſint exempla regentum
Omnia præceptis conſona.
Sic etiam ludi quisquis moderatur habenas
Sceptra gerens rector virgea,
Paſtorem tanquam ſi non ſchola tota ſequatur,
Rebus in eximiis æmula:
Quicquid agat Doctus dicatue docendo Magiſter,
In ventos fruſtra diffugit.
Sed vice tum versâ ſeliciter omnia cedunt,
Cùm ſpeculum pubes adſpicit.
Exſequitur nutu ſi quæ data iuſſa iuuentus,
Quando ſequatur habet quem benè.
Hæc mihi dum ſubeunt, præceptor & ipſe labori
Iungo quod officium poſtulat.
Hæc ratio vitiis obſtat cuſtode remoto
Ne iuuenes faciant turpia.
Vita mihi cælebs ſpecie quia ducitur iſtâ,
Aemulus heic aliquis ſòrs erit.
Aſſecla ſed quisquis ſuerit meus auſpice Chriſto,
Neſtoreos annos tranſigat.
Dic mihi iam, Michael. tua quæ cenſura ſit, iſta
Carmine quod facio prælia.

MICHAELIS WIRT NOTARII, E.

EST virgâ dignus vel duro fuſte Magiſter
Diſcipulis prohibens quod tamen ipſe facit.
Sed benè doctrinæ reſpondet vita BOCATI,
Largiter is nunquam ſumere pocla ſolet.

MICHA-

MICHAELIS GEREB Tranſyluani.

SAlamandræ rigor ignem velut arcet,
Generoſus fugat en ſic fera diri
Mala Bacchi: iaculo ac inimicatur in illa.
Fatuus percitus œſtro temulenter
Furit, & ſpicula vimi maleſanus
Bibit vltrò, ſibi ſurdus mala frendens cacat ipſi.
Secus aſt hanc rabiem, docte BOCATI,
Minuis caſside tectus rutilanti,
Metuis nec furias bis geniti, ſed neq; Thyrſum.
Ego voti memor huius ſocium ſo-
brietatis voueo me. vnanimi te-
la furoris quia vexant truculentis fera ſannis.
Pie Iane, ab Dea fautrix pietatis
Faueat, detq; amaranthi tibi ſertum:
Vigeat nomen in æuum veluti truncus oliuæ.

PAVLI MELISSI C. P. E. A. C. R. & P. L. ad Corolum Vtenhonium de bello Turcico.

CArole ſortè rogas, bello quid agatur in iſto,
Dum contra Turcas Teutones arma gerũt?
Pugna cadis tanta eſt, tanta eſt certatio poclis,
Quis ſit, vt ignores, inferiore loco.

Cominus inter se tam seruida prælia miscent,
Quisq; nisi læsum non caput inde refert.
Maxima pars Bacchi lethalibus occidit armis
Saucia: pars ægri morbida membra trahunt.
Desidiâ reliqui torpent segniue veterno:
Castra tamen Thracum tam metus acer habet,
Eminus vt Cyathis saltem si iretur in hostes,
Illicò terga fugæ Thracia turba darent.

IOHANNES BALOGVS
Iohanni Bocatio.

QVi sale, qui vitâ, qui carmine, quiq; Minerua,
Delectas, præstas, concinis, atq; sapis,
Quis tepidus? quis vir? quis vates? quisue peritus?
Sentiat haud pro te? ni ferus atq; rudis.

BEZÆ IN EBRIOSOS.

QVæris quis sit homo ebriosus? atqui
Nullus est homo, Næuole, ebriosus.

BALOGI OPPOSITVM.

HOmo est quin potius vir ebriosus,
Namq; ad Tartara pergit ebriosus.

BOCATII.

AVt homo est ideò mage ebriosus,
Quod solum hoc animal fit ebriosum.

AD

AD MILITES HOSTIS saucios.

SI quis in hæc veniens accepit vulnera castris,
Aut hoc se pungi carmine sorte putat,
Acceptum referat sibi: nam taxare poetis
Concessum est, fieri cùm vitiosa vident.
Effice, quisquis aues laudari, quisquis amari,
Ardua cum vitiis sit tibi pugna prius.

Christophorus Variscus.

WOLFGANGI PRÆTORII, I. V. D.

COrniger vt vates montis de vertice castus
Effudit Iosuâ velligerante preces.
Prælia sic etiam nostri prece mixta gerantur
Numidæ, felix cedat vt illud opus.
Si grex vota Deo non fecerit æmula Mosis
Hostibus hæc supplex alea Martis erit.
Gratia magna tibi, Bocati, hoc carmine monstras
Quî nobis Numen mitius esse queat.
Bella prius tandem iam nempè domestica cessent,
Sobria eat precibus miles in arma suis.
Militiæ tu viue decus, retineto fidemq;
Spemq; ab te dudum cœlica serta manent.

DANI-

DANIELIS FRISII. I. C.

RAra poetarum spès, sobrie & optime vates,
Discipulum sectæ me patiare tuæ.
Vina bibi, fateor. sed vina bibendo parumper
Effugi sætens ebrietatis opus.
Post quoq; donec ego bibero & superaro, Bocati,
Discipulus sectæ firmus ero vsq; tuæ.

IOANNES FRVDLANDVS, L. I.

HVngara, Teutoniæ tellus commune sepulcrũ,
Plures, quàm Turcus cæde necare solet.
Cur quæris? morbos & vulnera plurima Bacchus
Nonne facit madidis vda per arma viris?
Ergo ne simili me conditione peremtum,
Bocati. doleas, pauca ego vina bibam.
Qui se ipsum vincit, plusquàm fortissima vincit,
Vt vincas hostes te benè vince prius.

MELCHIOR VRSINVS
Borussus. D.

TVne illâ antiquâ virtute fideq;, Bocati,
Non dubitas contra tam dirum accingier hostem,
Quod nemo est ausus Regum fortissimus olim
Tentare. vsq; adeò vires & robora sumsit
Ebrietas iurata gulæ Cerealibus armis.
Hoc opus hic labor est, tantum deuincere monstrum.
Sed quoniam te raptat amor, iubet ardua virtus,
Posthimelissæi stimulant exempla laboris.
Aeternumq; decus, cœliq; tremenda voluntas
Poscit, in arma ruunt quoniam totidem agmina bel-
lo hoc
Fortia, qua modò cunq; potes te te assere Achillem.
Omne moue saxum, spoliis vt onustus alire,
Vt possis latè regnare potentibus ausis.
Nec dubito, quia causa bona est, tibi seruiet axis
Elysius, tibi puræ animæ, illustresq; virorum
Se socios iungent. Concorditer approbat istud
Bellum Frencelius, cui morbida membra poetæ.

LVDOVICVS MANDÆVS
Med. D.

QVid, quæso, inceptas, Bocati? an flumina
sistis?
An vis cum seclo belligerare tuo?
Quo fauor, omnis honos, dulcesq; parantur amici:
Quo se tractari suauiter hospes ait.
Quo sine nemo suæ genitricis prodiit aluo:
Quo constans sponsis conciliatur amor.

Quo

Quo sine nulla potest fieri emptio venditioue:
Quo nil posterius, nil fuit atq; prius,
Hoc inquam, hoc inhibes. odiorum nonne procellæ
Mille tibi sic vis conciliare graueis.
Nulli carus eris: nulli Germanus haberi,
Et poteris vates nulli etiam esse bonus.
Sanctulum, inhumanum, sapientulum & importunũ,
Te dicet bibuli tota caterua chori.
Sed tu iure nihil Satanam sociosq; moraris,
Nam solidæ curas plus pietatis opus.
Hoc Deus, hoc ratio dictat, celeberrime vates,
Donec ero, semper Bocatianus ero.

IOANNIS FABRICII.

EST pietatis opus, promissis stare verendis,
In pulchro voto non violare fidem.
Est pietatis opus, promissa infringere iniqua,
In turpi voto fallere sasq; fidem.
At tu quia votum laudabile, docte BOCATI,
Simplice vouisti religione DEVM:
Fac constans esto? Numen pia vota secundet
Tergeminum, tibi quod pectore & ore precor.
Laus est laurigeris non ultima vatibus, esse
Constantes, iustâ cum ratione tamen.

EIVSDEM.

EIVSDEM
Ad ventris mancipia & sobrietatis studiosos.

EBria turba vale, Baccho Cereriq; dicata,
Quæ curam ventris, non pietatis, habes.
Sobria turba Deo tantummodò dedita salue,
Non ventris curam sed pietatis habens.
Rumpe moras, en cœlicolum te sobria turma
Expansis alis in sua castra vocat.
Rumpe moras: o felices, quos agmina circum
Cœlica præsidium castraq; casta locant.

AD MILITES CASTRORVM
Bocatianorum.

ECce poetarum decus, & venerabile nomen,
Quotquot Martius hic tractus habere potest:
Nuper honore grauis, Musis gratissima proles,
Bocatius multos inter vbiq; Sophos,
Hîc vos castrensi fortes comitatur honore,
Et quàcunq; vacat, nobilitate vocat.
Sumite dona viri, Nasonis sumite currus,
Dulcius hac vehitur parte laboris onus.
Cùm benè fragorum rectà venietis ad vrbem,
Huius vbi vatis sortia castra manent:

De

De patriâ vobis animos det theſſera veſtrâ
Bocatii, cuius manat ab ore venus:

Σὺν

erit melius, ſpera: melioribus auſis
Semper, Spes vocat in melius: ſpera, & erit me-
Θεῷ. lius.

Andreæ Mudronij.

GODFRIDO TRACHEMBERgero, Comiti Palatino, Equiti aurato.

C. R. & P. L. Ioannes Bocatius.

QVi mea digna putas Daphneide tempora lauro,
An, Gotfride, ſed heîc iam quoq; digna putas.
O intemperies tua, tam rude cingere verſûs
Frunde Poetarum vulgus Apollineâ.
Prodigus es, Trachenbergere: illuſtria Vatum,
Tempora cincta comas, quæ meruere, ferant.

RESPONSIO TRACHENBERGERI.

EDis ſtirpe tuâ dignos, ita cenſeo, fructus
Hinc me nil Phœbum pœnitet eſſe tuum.
Imo intemperies hæc aurea: Laurea vatem
Serta piâ clarum ſobrietate decent.
O ſic noſtra ſuas pòſt frondes perderet arbor,
Ad cœlum Daphne tolleret iſta comas.

PHILIP-

PHILIPPO SIDERIO MEdicinæ Doctori.

QVæris, an eſſe iuuet plus manè, an veſpere? eddo
Quod iuuet eſſe cibos veſpere, manè, pares.
Vis cauſam? citius lux digerit, atra tenet nox
Longius: hæc requie motibus illa ſuis.
Sic, Medicè, hæc Medicè: ſed ſacris parce ſtatutis,
Non dic, tu Medicè veſcere, ſed Modicè.

RESPONSIO SIDERI.

NÆ mihi feciſti ſat: at heus, cur pungor aperte?
Si veſcor Medicè, veſcor ego Modicè.

MICHAELI GENTIO CRAcouienſi, Abſtemio.

QVi neſcit ampla ſtrenuè,
Siccare pocla nobilis,
Non audit orbe nobilis,
Hoc ille ſe vocarier.
Cur tu tamen vocarier,

C Hoc

Hoc te audis orbe nobilem?
Audis at, es que nobilis.
Ergo duplex es nobilis,

RESPONSIO GENTII.

SAlue Poeta nobilis,
Sed non Poeta moribus,
Sed Socratis benè æmulus,
Cui semper ipse milito,
Virtute sobriâ dies
Quos viuo, vixero posthac.
Tu me tuis quod aggregas,
Ago, Poeta, gratias.

IOANNES RHODOMANVS
Ioanni Bocatio.

SVbscripsi voto, quod tu facis optime vates.
Subscripsi calamo, pectore, mente, fide.

PHILIPPO DE LACVRT.

Vbi cùm eo inscius de Ciconiâ comedissem,

ESt ne ita, truncato mihi frixa Ciconia rostro,
Sicut ais, tecum Cœna, Philippe, fuit?
Seria si vox est, non nauseo: suauius estur
Quod gratum: hæc olim grata volucris erat.
Sed quia: tam gratam quid possim reddere ob escâ,
Tu me iure rogas, accipe: gratus ero.

VOTVM

VOTVM MEVM.

ECce, Sacramento vicium detestor, in orbem
Quod Satan inuenit fraudibus ipse suis.
Ignoscas ô alma Ceres, quam vulgus adorat,
Ignoscas captis ebrie Bacche meis.
Qui volet, admiretur, ego tua munera spernam,
Quæ das immodicâ, noxia nempe, manu.
Nolo me in mores cerebrosi vertere vulgi,
Cui placeam è multis sors tamen vnus erit.
Mâlo in me mundus, vel totus, hic euomat iras,
Quàm iusiè iratum Numen habere semel
Conditio placeat mihi nulla, vel Hungara tellus
Si precium ex vnâ sorbitione foret.
Dulcia non istis hominum commertia vito,
Qualis Athenæus dicitur esse Timon:
Nemo tamen, sic nemo suo me scribat in albo,
Vt posthac voto pocula plura bibam.
Nemo mihi sic sit Mecænas, nemo potentum
Sic fautor: iam tu gratia prisca vale.

PAVLO MELISSO, COMITI
Palatino, Equiti Aurato. C. R. & P. L.

PAule nouenarum collega, Melisse sororum,
Mercurij & Phœbi clare senator aue.

Aurea doctorum vēnus, & flos unice vatum,
Sæcula Teutonico quos genuere joco.
Nunquid adhuc superat generosi gloria voti?
Nunquid adhuc animis insidet illa tuis?
Sera mihi, sed lecta tamen sant aurea gemmæ
Vincla & semidei, quos Amethystus habet.
O venerande senex, ô indelebile mundi
Sidus, & ô nostræ prævia stella viæ.
Te duco Thyadibus valedixi, ac æmula secl
Castra iuuentuti triste secutus iter.
Te duce litterulas iam scribere disco Latinas,
Te duce laurigeras vertice scando domos.
Paule nouenarum collega Melitle sororum,
Mercurij & Phœbi dare senator auc.

MELISSI SCAZON IN BAC-chanalia.

Saltationes, tripudiaq; choreæque,
Insanientum quas furore Bachantum
Satan in orbem malè choragus inuexit
Ac dissolutis moribus dedit mentes:
Detestor, execrorq; vos ad extremum.
Nec christianum nec pium modestumue est.
Nil amplius pòst exprobrent nec incilent
Hi choliambi. sic habete quod sensi,
Stulte choreæ, tripudia atq; saltuæ.

EIVRA-

EIVRATIO BACCHANALI-um.

NOn ego desendo pueriles turpiter annos,
Victus non rarò, qui gero bella sui,
Me duce sed posthac ducet quoq; nemo choreas,
Stultitiâ licet hac iam satis ante vacem.
Non mihi iudicium simo, me dedecet autem,
Dedecet ac nostrum mos tamen ille chorum.
Ethnicus is furor est? hæc sæcla seracia Christi
Ostendant nostræ relligionis opus.
Siue sit id longi moris, vel amoris amici,
Mos & amor turpis, nec satis iste pius.
Sed pòst (eiuro vitia hæc, vel teste Iehouâ)
Dulce iuuentutis linquam ego ritè scelus:
CHRISTE iuua, me nequa mei lux vnica voti
Immemorem faciat, tu pie CHRISTE iuua,
Te duce, CHRISTE. sitim multis tolerare diebus
Et potero fatuos deseruisse choros.

IOHANNES BALOGVS Ioanni Bocatio.

AVt hoc ritè sacræ ducantur in orbe choreæ,
Aut pereant vani, te prohibente, chori.

IOANNIS POSTHII DE Vxore suâ.

EBria quòd fugio conuiuia sobrius, vxor
Egregiâ passim me mea laude vehit.
Verùm quando leues agitare recuso choreas,
Irasci tacitè dicitur illa mihi.
Vis molles ducam choreas, Blandina? necesse est
Fumoso incaleant tempora nostra mero.
Displicet ebrietas? pariter citharæq; lyræq;
Displiceant, fatui displiceantq; chori.

DICTVM. D. AVGVSTINI: Melius est toto die fodere, quam saltare die Sabbathi.

SAbbatha dum Saly malè puluerulenta choreis
Et faciunt stygio dulcia sacra DEO:
Nonne ligone solum si scindas, Numina gaudent
Plus? lassa totos ergo labore dies.

CVR EBRII SALTARE SOLEANT.

FOrtè rogas, ducat cur ebria turba choreas,
Atq; rotet pedibus, ceu furibunda, solum?
Dux caput est hominis caput omnia membra sequũ-
Vortice quùm gyrus nascitur antè suo. (tur,
Contortos stomachi facit exhalatio ventos,
Scilicet hoc Boreas asper ab axe venit.

EX CICERONE.

NEmo virũm saltare solet, cui sobria mens est.
Ducit at insanos ebria turba choros.
Cur mihi vir sapiens, caprarum more, vocetur,
Exiliens, quando sicca vel ora gerit?
Immò haud intenebris fas est agitare choreas,
Aut ibi conuiuam vir bene salsus agit.

ANTHITESIS EBRIETATIS & sobrietatis iuxta casus.

EBrietas pixis Pandoræ, & lerna malorum,
Pestis honestatis flagitiiquè parens.
Ebrietatis id est, hominum secura Dei mens,
Quòd dirum omne sonans dia elementa lutat.
Ebrietati omnes scelerum sunt orbe ministræ,
Mille quod exemplis ipse probare velim.
Ebrietatem Acheron manet, & pix mista per vdas
Tartareas, quâ styx cæca ministrat aquas.
Ebrietas ô dulce malum, blandumque venenum
Hinc procul hinc Indos & Garamantas adi.
Ebrietate nihil cernes monstrosius vnquam:
Dispereat furia hæc tam vitiosa precor.

SOBRIETAS.

SObrietas schola virtutum Troianus vt olim
Clara virũm in lucem lumina misit equus.

Sobrietatis id eſt, precibus quòd caſta Deum mens
Suſpicit, & Chriſti ſcit doluiſſe crucem,
Sobrietati adſtant comites, pax, candor, honeſtas,
Digna viris grauitas, vita modeſta, fides.
Sobrietatem olim Deus altis ponet in aſtris,
Vt ſuperet ſtellas, Heſpere, luce tuas.
Sobrietas. ô triſte licet, tamen aurea noſtræ
Spes, hominumq; bonum dulce ſalutis. aue.
Sobrietate nihil cernes felicius unquam:
Quilibet hanc oculis plus uenerare tuis.

ALIVD.

EBrietas nocet, ingeniis & corpora perdit.
Sobrietas mentis membraq; ſana facit.
Ebrietas viduat marſupia, diſſipat æra:
Sobrietas loculos laxat & auget ops.
Ebrietas rigidas in pectore ſuſcitat iras:
Sobrietas pacem, prompta iuuare, colit.
Ebrietas diras eructat in aëra voces:
Sobrietas grates occinit ore Deo.
Ebrietas odioſa piis tandem exulat vrbe:
Sobrietas cuiuis mellea tota venit.
Ebrietas iacet æternùm vt ſus ſordida cœno:
Sobrietas altum tollit honore caput.
Ebrietas mundo cita nomen perdit honeſtum:
Sobrietas terris viuida ſemper erit.
Ebrietas Acherontis init poſt fata paludes:
Sobrietas cœlo veſcitur ambroſiâ.

SALVS

SALVS DOMINE HANS.

EGregiam poſſet mihi ſus optare ſalutem
Ebria, quæ ſanæ nil rationis habet.

IN TEMVLENTOS POETAS & Cantores.

ESt vnum id vicium Cantoribus atq; Poëtis,
Quod vinoſa canant carmina, ſi qua canant.
Iuſticias nec eo, quòd oporteat eſſe canentes
Humidulos: at aquas ex Helicone bibant.
Immò hinc ebrietas Cantoribus atquè Poetis
Ni ſuat, vt faciant, carmina nulla placent.

DE SE IPSO.

EPrius haud homo, ſed volo trux ego beſtia dici,
Beſtia nec dici ſpurca, ſed eſſe, volo.
At, tu Chriſte Deus, qui vis ne beſtia dicar,
Fac, precor, effigies ſim, maneamquè tua.

DEFINITIO EBRIETATIS.

SI tibi ſponte Scyphis ratio ac oratio ceſſat,
Hoc voco ego fœtens ebrietatis opus.

ALITER EX ILLO PAVLI: Ne inebriemini vino, in quo luxus eſt.

NAm quid agas? vinum bibe, non bibe, Apoſus idem
Cur ait? an tanto ſunt ea digna viro?

An? quia nil cyathus peccat, quùm porrigis ori
Viſceribus quantum ſit medicina tuis.
Hoc bibe, ſi minor es te ipſo: geris omnia prauè;
Heu ſcelerum fons eſt, vina bibiſſe nimis.

ODIVM ET AMOR VINI.

ODi, & amo vinum: faciam cur iſta, requiris?
Peſtis & haud fallax eſt medicina merum.
Vt medicina merum, non peſtis noxia fiat,
Naturæ quantum ſufficit ergo bibo.

IN PAVCOS LIBROS ET multa pocula habentem.

VItrea plura libris Muſæum pocula cernit:
Muſæum anne meret dicier, anne caduc?
Artificem, quis ſit, demonſtrat & ipſa ſupellex:
Lurco bibax igitur non ſtudioſus homo es.

IN THEOLOGVM HELLVONEM.

QVi præter Bacchum redoles nihil atque ſalernum,
Helluo, te Myſtam, peſſime, tene vocem?
Talibus heu porcis quòd Margaris illa palæſtram
Cedat, quos hara, non ſanctior ara, decet.

CANTORI BIBVLO.

VIx ſic aſſequitur benè vultur odore cadauer,
Quam in lurcones quà bona vina bibunt.
Quando datur gratis, diſtendis guttura latè,
Vt, ſi ſauce ſoret, iam mola poſſet agi.

EXCVSATIO CANTORIS.

IPſa facit quoq; nempè leueis axungia currus.
Noſtra ſed humores Muſica ſemper amat.

PASTORI LVRCONI.

CVr toties madidos inter ſis quæſo bibones,
Plebsq; tibi mores arguat eſſe malos:
Mensam & Cyathos, dicis: quoq; ſæpè ſodalis
Zacchæi quondam Chriſtus & ipſe fuit.
Egregiè mihi reſpondes: non ille notari
Labe poteſt: at tu, nil niſi culpa, potes.

CVIDAM QVERVLO.

PAuper es, hoc fateor, ſed vis: nam ditior eſſes,
Si modicè Cyathos tollere cura foret.
Non tibi condoleo, ſis Codrus & Irus: honeſtam
Qui paupertatem ſubleuat, ille ſapit.

IN POTATORES EX CALCEO mihi cereuiſiam propinantes.

QVà iacet Elyſius Cerere eſt glebâ vbere campus,
Ruſtica mi hoſpitium nocte taberna dedit.

Fecerat

Fecerat hei vdos nimium cereuisia fratres,
Hospite sermones vix faciente domus.
Is me, sex & equos hâc conditione recepit,
Vt biberem ex Cyatho tum mihi sorte dato.
Intueor Cyathum, pedis est munimen, & ori
Præcipit vt iungam, aut me iubet ire foràs.
Quid facerem? sordes bibo: sed pòst calceus, erit
Sole, nihil suntus me numerare sinit.
Da veniam, hospes ait, quod heri peregrinus vtin-
Tu quoq; debueris nos vlulare lupos. (us
IN VITROPHAGVM CRA-
couiæ lusfocatum.

SOrs vbi me vellet medios transire Polonos,
Et dominâ mansi tres ego in vrbe dies.
Sarmata quà vitreas, fuerant quæ pocula, testas
Dente fero ipse sibi triste vorauit opus.
Nam misero frustum cum voce in faucibus hesit,
Et frustrà auxilio cætera turba fuit.
Vix ter dixisses noster Pater, exhalauit,
Pulmonisq; tenax fusile fecit iter.
Vt vidi, ipse ferè periy cœliqué verendum
Extimui, ne nos perderet illa domus.
Iam contemptor Superi ede stupendâ, ede vitrum:
I nunc, & veritus vescere, lurco, cibis.

AD AMICVM POCVLA
exhausta postulantem.

AN me hominem esse putas, an vaccam? posca vt vrnam
Epotem: haud vitam tu mihi, amice cupis:
Non bos traxisti claro Lacedemone morem:
Spartæ habet arbitrio pocula quisque suo.
Solo Scyphis: si vis, more & pugnemus amore,
Vt nostram æternet quælibet aura fidem.

IN TEMPLVM VINI VASIS
repletum.

ECce, Deo, si nescis, plebs cui seruiat ista,
In sano positis indicat, ecce cadis.

IN FEOMINAM EBRIAM.

DIc mihi, quisquis aues bene verum sarier, orbe
An quicquam toto fædius esse queat?
Quam (quod sæpè vides) mulier perfusa falerno,
Nescia quæ medrâ currit in vrbe sui.
Monstrum hominis videas: vacat os sermone vt co-
Exulat ore pium pectore fronte pudor. (cto.
Bacchia ita per campos & per iuga concitat Thyrso,
Vix furit, & spurcos est adaperta sinus.
Vos ego culpo viros: sed honestos laudo quiritas,
Quod furias mâlunt fuste domare suas.

IN POTATOREM MATV-
rè barbescentem.

NVnc ego non miror, madidissime lurco hiboni,
Cur tibi sit mento tam citò nata seges.
Arida quæ tellus, & quam non perluit vnda,
Caluitie longâ plana manere solet.

Sed

Sed sunt arboribus frondes, sunt gramina campo,
Quando frequens largis decidit imber aquis.

IDEM EIDEM.

CVr implume mihi, bibo fœde, os obiicis vnc
Scilicet annosum te tua barba facit.

IN CATAPHRACTVM
Equo suo plus debito bibere non permittentem.

QVùm gelidas auidè fors rostrum immittit in
Fortis, equum fræno, cur cataphracte trahis?
Anne fatigato quia sic aqua nempe caballo,
Si magno fuerit gurgite pota, nocet.
Est ita: sed miror, parili cur tu quoq; legi
Non sis adstrictus, pocula quando trahis.

CVR EBRII OMNIA EF-
furiant, ex Senecâ.

MOs est, ad cerebrum benè si penitrauit lacchus,
Nil non incipiunt garrula pocla loqui.
Tunc vbi vel propriis volat irreuocabile verbis,
Et sibi fata creat tristia vocis opus.
Nempè docent eadem doliis nouà musta natantes,
Quæ eructant partes, eiiciantq; cadis.

IN QVENDAM A TRIBVS
famulis èx conuiuio ductum.

CLaros hospitibus Lacedæmonis approbo leges,
Quæ facc conuiuas nocte redire vetant.
Scandala ne qua vir excellens det sorte minori,
Si Lapsando petat quos colit ipse lares.
Aut si sortè quid aduersi ferat inter eundum,
Maturè à cyathis discat abire domum.
Sed quidam lurco, totâ primarius vrbe,
Visere conuiuas sole cadente solet.
Manè tribus famulis benè potus fertur in ædes,
Cum risu totâ plebe videntè, suas.
Nobilis ô salue decus haud imitabile nobis
Spartæ, qui verum nouimus ore DEVM.
Iudicium tolerabilibus, Lacedæmon, ab axe
Scilicet Elysio te quoque sicce manet.

DE VINO DISTILLATO.

ERgo nec hoc satis est terræ potare cruorem,
Fortè Gigantæo qui nece natus humi?
Vnda quoq; (heu) bibitur stygias imitata paludes,
Et Lethe quales pota ministrat aquas.
Triste olim Satanas vinum iam dulce propinat:
Sic auceps miseras blandus inescat aues.

DE PLVVIA MEDARDI
die decidente.

LVce, Medarde, tibi sacrâ si decidat vnda,
Vulgus ait lacrumas continuare iouem.
Non quater inde decem siccam esse solere diebus,
Tellurem, & pluuias semper habere suas.
Ecce ferè totidem nunc decidit vnda diebus:
Non semper nugas vanaque vulgus ait.

Causa

Non pluerent, lux hæc multa serena foret.

IN MILITEM EFFRINGENtem cellam vinariam.

STrenuus, ecce, sui fecit præludia Martis
Bella gerens Cella miles in hacce grauis.
Perge vir in simileis ô prestantißime pugnas,
Horret ob aduentum Thracia tota tuum.
Victor eris certè, præstat tua mascula virtus,
Non Baccho aut Cyathis Turca sed ense vir est.

IN MILITEM EBRIVM & meretricu'am insinu fouentem.

PErdidit ebrietas Macedum olim regna: quid ergo
Mirum, si nostram perderet Vngariam.
Perdidit incestus Phrygiam Troiamq;. quid ergo
Mirum, si nostram perderet Vngariam.
Heic vbi certatur pateris: vbi miles in armis
(Ecce) Cupidineis semisepultus agit.
Ah, ah impietas: cur illi bella mouemus?
Quo duce nostra Getis bella mouenda forent.

TEMPLVM ET OENOPOLIVM.

IN Domini sacram vix aduenit vnus & alter,
In Bacchi legio non ruit vna domum.
Quandò

Syrenumque sonos edere monstra putat.
Cantarus immodicè madidas vbi verberat auras
Acer, quis pennas non citus hospes habet?

ASOTO IN VIA TITVBANTI.

EBrie, si Deus ipse foret, plaustri instar onusti,
Cedere vis nulli bestia curua viâ.
Proh ita particulam diuinæ mentis habentes
Ebrietas asinos impetuosa facit.

EN OINΩ ΑΣΩΤΙΑ.

OVindemia Dæmonis, eulullos
Siccare, ac diuturniùs falernum
Ber potare: suas vbi scelestùm
Fert Pluto decimas: decem tabellæ
Quà Mosis rudimenta fracta testas
In tot mille iacent, & obloquuntur
Non vnus vitiis Deo parenti,
Siccareis diuturnus culullos
Non dat: nobile sed erat falernum,
Vt laudes recites Deo parenti.

VINVM ET FORNICATIO auferunt cor Regis.

DIc mihi, quid frangat fortißima pectora regũ?
Personæ vt nequeant plus meminisse suæ.
Nonne gerunt Cyathis obnoxia corda Furori?
Personæ vt nequeant plus meminisse suæ.

D Voc

Vos melius, quorum parcebant Massica reges
Poscere, ne vino noxia sceptra forent.

EPICEDION MORTVO OB immodicum vitæ aquæ vsum.

DIsce viator: obit, quem saxum contegit istud
Immodicè vitæ quando bibisset aquas.
Disce viator, obire potes sic viuere si vis,
Christus habet vitæ, cætera mortis aquas.

AD POCVLA DE SACRIS rebus disputanti.

EBrie porce, sacris de rebus ad vda furenter
Pocula, nec docto teste, tot ergo crepas.
Ipse vires, fungus pars cætera: disputo sacra
Mane domi, heic vir sis si placet ergo, veni.

THEOLOGO PAVPERVM nuptias fugienti.

REx regum, Dominus dominantiũm simplice Canâ
Munera pauperibus magna dedit thalamis.
Tu satus obscuro patre, terræ filius, Irus
Tenuia quùm celebrat gaudia, nullus ades.
Semper donari vis, non donare: Magistrum
Hoc ne suum est vitâ, relligione sequi?

IOANNI KRAVSIO DE VINO in ipsius nuptiis propinato.

IAne, celebrares quùm magno Hymenæia plausu,
Lætitiæ vrbs adorat tota quid ista tua?
Nemo tunc villam, vel habebat iugera: nemo
Est thalamis, dixit, nupera Sponsa meis.
Causam ego non dico, quam vulgus dixit: amicus,
Pocula si dones, quisque vacare potest.

TVRCÆ ABSTEMII.

CVr Geticus vetuit bibere induperator Iachum,
Et Mosi obsequium fert benè turba suo?
An? quia marticolas vino haud decet esse grauatos
Bacchicus à castris exulat ergo liquor.
Discite vos animæ illustres, exercita marte
Pectora, pro Christo quos saga ferre iuuat.
Discite: nec pudor est vestros imitarier hostes:
Ah nimium est, sortem ventre perire bonam.

IN HOMICIDAM ET ADVLterum per temulentiam factum.

REs plumâ leuior, pateras siccare, putatur.
Dum modò seruetur sic socialis amor.
Sed nego: scit latam viciis aperire fenestram,
Atque scelus sceleri scit cumulare, merum.
Quidam, aiunt, Stygii persuasus Rethoris ore.
Crimine sic triplici debuit esse nocens.
Solueret aut hominis non noxia pectora ferro,
Aut foret obscæno turpis adulterio.
Seu Bacchi fieret vas ipse bibacius: ergo
Pondera solliciti computat vsq; mali.
Hinc subit ebrietas, crimen sed mitius illis,
(Quod patrat ipse, quis hoc rex cohibere potest)

Tum facit innumeris obnoxia gutura poclis,
Hinc ratio princeps corporis esse nequit.
Coniuge nam casa alterius cum coniuge metas
Transilit: I leue die ebrietatis opus.

LADISLAO DONAI PRÆTER Hungarica pruna nihil comedenti & præter lac & aquam nihil bibenti iam ab annis 46.

Q Vite, qui, LADISLAE, tamen genuêre parentes?
Quis te Semideis non putet esse satum?
Non hæc illa ætas, quâ sint mortalibus herbæ
Panis agant homines absque foco atque coco,
Nulla est vberibus, nulla est reuerentia fonti,
Lautis summa cibis maxima cura Scyphis.
Viscus aueis vincit, ponuntur retia siluis,
Et raro liquidæ pisce natantur aquæ.
Occupat hinc nostras tota India odore culinas,
Ignis & innumeras præparat arte dapeis.
Ingluuiæ multos gula pauperat vndique Cræsos,
Et mors sunt magnis vina merumque viris.
Quippe habet ebrietas & primas crapula partes,
Est magis abiectum sobrietate nihil.
Ni potesquè voresquè simul, sapientulus audis,
Nilquè hominis passim dicitur esse tibi.

Nemo

Nemo tuo autem est qui ausit præcidere mores,
Quàm qui naturæ bella parare velit.
Me stupor inuadit, tua quando pedissiqua prunis
Capsula se prodit, seu liquor ille tuus.
Qui te, qui, LADISLAE, tamen genuêre parentes?
Quis te Semideis iam negat esse satum?

AD CANCELLARIVM PRINcipis Transyluaniæ.

Q Vam cepisti hodie solo cum principe solus,
Spectatrix cœnæ pars ego pone fui.
Cœna breuis somnus leuis est. breuis vtraq; res hæc
Principe digna viro, milite digna viro.

EZECHIELI PIVERELLO ET Ioanni Schirmero, medicinæ Doctoribus.

Dicere sors mihi sic fas est: quod larga colonis
Messis, id est medicis morbida turba viris.
Hornâ fruge sibi ceu rusticus horrea complet,
Cum pretium longi dulce laboris habet.
Sic ope qui medicâ iuuit, marsupia laxat
Aere dato, atque suas semper aceruat opes.
Ergo ego dum vestras conor præcidere messes,
Vos miseros posthac esse laboro viros.

Pace tuâ, medicûm par nobile, dico: nec hilum
Proficis, emeritos calce vbi pungis equos.
Meßis erit medicis, donec ſpes vlla colonis,
Rus, agri, equi, ligo, falx plauſtraquè donec erunt.

WIGANDO WEINSPERgero Pharmacopolæ Caſſouienſi.

Cùm ſemel occineret de more Eccleſia priſco,
Vocibus in ſanctâ talibus vſa domo:
Da pacem Domine, in noſtris, Deus alme, diebus:
Quidam fortè ſacrâ miles in æde ſtetit.
Quid facitis? clamat: bella horrida bella rogate,
Non de lucrando hæc cantio pane mihi eſt.
Sic ego dum reuoco madido à certamine natos
Portare arma vdæ ſtrenua militiæ:
Vnde ferunt medici Spolia, & marſupia complent,
Iratus quoque ſors quis mihi Phœbus erit.
Nil metuo mihi, crede, Vigande: en proficit illa
Quantum, verſiculis tantum ego nempè meis.
Quò magis optatur prece pax, hoc plus tamen vſq;
Impius in toto Mars furit ipſe ſolo.
Vtraque ceſſabunt ad græcas bella calendas,
Aut annus magni quando Platonis erit.

Aſt ego mâlo tamen campo, quàm occumbere cellâ:
Illa necat corpus militia, hæc animam.

AD CASPARVM DVR.

ARidi habes nomen, non quod tam pocula ſiccas,
Sed quia coniugio ſiccus es vsque tuo.
Pocula ſiccando modicè plue Iuppiter imbrem
In Danaes tandem largiter arua tuæ.
At ne me ſimilis quoque culpa redarguat, agrum
Nueris vtiliter mequè rigaſſe meum.

ÆGROTANTI OB IMMODIcam ingurgitationem.

COrpore vt in ſano tibi mens ſit ſana, quid oras?
Nonne valetudo te penes illa fuit.
I morbum coram durâ quiritare nouercâ,
Lurconi mater nunquam Hygiia fuit.

INVIDO MIHI MORTEM vouenti.

QVid te optare mihi lethum iuuat Inuide? nempè,
Quod ſua vota canes, vt moriantur equi.
Me ſtudium pallere facit: te pocula, cypris,
Ambitio. tibi nex, vita mihi illud erit.

SENI LASCIVIO ET decrepito.

CVrue senex, edentule mus, cur, quæso, propinas
Te deridendum, & damna tibi ipse struis?
Miles inermis in hoc bellum vix stipite repis:
Mors est imbelli bella puella seni.

VETVLO CONIVGE VIX SEpulta aliam ducturienti.

TAntum herè lacrimulas Crocodili, turpis Agaso,
Mittebas, oculos docte madere tuos.
Nondum hodie albebat cœlum, Motacilla volabat
Mox Venerem viduo conciliare nouam.
Fuste dolande senex, barbam quin aspicis albam:
Bestia trux homines, non imitare canes.

PVELLÆ NVBENTI DEcrepito & rudi.

TVne potes Mopso Lædæ æmula nubere Nisa?
Tune potes curuo plana iacere seni?
Non huic propter opus, sed opes, das oscula Codro:
Stulta puella nimis, stulta puella nimis.
Quid te iam fiet? vis scire? ah ditior esse
Dum cupis, impurâ Thaide peior eris.
Crabrones tuus ille tibi irritabit, vt extra
Præscriptam salias, turpe sequendo, viam.
Scilicet hæredem te scribat vt ille, iuuenem,
Qui tibi dulce magis, clam patiere virum.

SENI VIX DVCTA PVELla mortuo.

HOc ego sperabam, nec me spes illa fefellit,
Nex est, quòd vitam credidit esse senex.
I nunc, quisquis aues, tali te credito bello:
Viuificat iuuenes virgo, necatque senes.

CONCIONATORI EBRIO PERperam legenti epistolam Pauli 2. Corint: 11.

ESt quidam, at dignus querno qui fuste doletur,
Et porcos, Christi non ita pascat oueis.
Hic vbi pro officio stanti sacra epistola ad aram
Ad populum plenâ voce legenda foret:
Hæ: Hebræi sunt, sum & ego pronunciat ebrI
Sunt, sum & ego. est index scilicet os animi.

THEOLOGVNCVLO PRO contione compotationem hesternam ruminanti.

SÆpè fit, hesternum quando edormire Lyæum
Non licuit, manè est contio habenda tamen:
Ne postilla tuos est consolata labores,
Pol nimium doctè verbera verba facis.
Causam agis ante Deum, si fòrs te rustica vicit
Turba herè, nec pugnæ sat fuit hora tuæ.

Herclè nocendum aliquà rursum est, aut vita recedit
Pastorem grauitas, iraquè magna decet.
Gratia non parua est, bacchando quando sacerdos
Miscere ampullis sesqui pedale potest.
Res Euangelij non tanti est, lecta secutus
Vt doceas: res est priua docenda prius.
Nonne vides Corydona tuum, ecce, heic, ecce sedet iam
Qui pocla infaciem iecit herè vsque tuam.
Deiice suggestu Lybicas, trux omnibus iras,
Dic, dici hesterno haud quæ potuere die.

ORANTI POST LONGAM & madidam cœnam.

STentor es ante cibos, & verba precantia fundis
Ritè, nec est linguæ semita curua tuæ.
Quum sessum est epulis, & Massica, Bache, tulisti
Munera, nescio qui scrupulus ora tenet.
Balbe tace: non est oratio grata precantis
Cum lue, peccatum est lurco vbi dia facit.
Ito domum, pueris cum lalla lalla: forsitan ista
Est qui te melius scit recitare Deo.

SINE CERERE ET BACCHO friget Venus.

SI rutam, buxum & comedas cum vitice bulbum,
Tu Veneri corpus posse negare, ferunt.
Cypridos vt reprimas furias, magè sercula vita
Lauta, nec immodicè sumere disce merum.
Plus aptum est rutâ, buxo, & cum vitice bulbo,
Et Cereri & Baccho ventre litasse parum.

SITIO.

TVnc sitis mi CHRISTE, cruci iam fixe, perennis
Qui fons es vitæ, viuidus humor aquæ?
Cuius ope è saxo produxit flumina Moses:
Cuius ope ex sicco Simson & osse bibit,
Cuius ope vnda fuit simplex innobile vinum
Versa: & cuius ope hæc imbre madescit humus.
Cuius ope hoc triplex terrarum opus æstuat asper
Pontus, & immenso pocla dat vsq; solo.
Ah mi CHRISTE sitis: ne nos sitiamus, vt alter
Tantalus: ô vitæ te sitiamus aquas.

CAVETE NE CORDA VESTRA grauentur cíbo & potu.

QVùm fugias, nocitura tuo quæ corpore censes?
Cur oneras animam duplice peste tuam?
Dia cibos sedes modicè, cor nobile, poscit:
Tu, de more lupi bestià auara voras.
Flamma sitis si vite foret, vel fonte leuanda,
Tu superas vaccam sorbitione tuam.
Heu fuge pestiferas animæ fuge pectore noxas,
Vt prece ieiunâ poscere fata queas.

ESV-

ESVRIVI, ET NON DEDISTIS mihi cibum.

HEV quoties Stomacho petij latrante puſillum
De Cerêre inducias, quales ſicca ilia poſcunt.
Oſtia pulſaui, ſurda oſtia nempè, domatim,
Ante fores (ah) ſæpè tulit conſtantia ſuſtes.
Sæpè etiam me præcipitem deiecit ab oſtio
Impius: ô ſemperbruto Euclio corde tenaceis
Vt poteras cohibere manus? Et linquere inaneis
Iri ſarcinulas. ſanè iam veſcere ſolus.
Inſameis carpe ore cibos: Examen ad horum
Te ſeruat fatale poli menſura, vt alumnus
Ad Sathanæ menſas veſcare pice atrâ: & vt olim
Cras dabo, dicebas: Et cras nunquam fuit illud
Sic cras æternum tibi cœli cella ſuſurret,
Vel ſi ſanguineas plorent Ieiunia guttas.
Tu quoq;, ſed fruſtrà, tam poma fugatia eaptes
Vt Pelopis pater eſuriens præſentia quærit.

SITIVI ET NON DEDISTIS mihi potum.

QVando etiam ſicca ora ſitis vexabat amara,
Intus erat rogus aſcendẽs & guttura aduſſit.
Faux præcluſa viam vix ac vix edere vocem
Indulſit, fluidoq; auſtranda liquore fuiſſent:
Vſq; ſtetit flexo vacua amphora poplite, & vndas
Nunquam interdicti ſic hauſit flumine Nili.
Iam volo, nec tranquillet aquis cœleſtis anhelum
Guttura ſons: neü gutta tuos deſcendat in ignes.
Metior heic æquâ ſic lance, pariq; referri
Par Aſtræa iubet: ſed aquas, vt Tantalus alter
Poſtus aquis ſitias Stygiis & ſulphuris vndas.

AGNVS DEI.

TOtius, Agne Dei, mundi qui crimina portas
Tergere: qui neuos ſupprimis, Agne, meos.
Agne ſalutiferas qui nobis corporis eſcas
Sufficis, ô animæ nobilis eſca meæ. (ptas.
Agne, decus ſuperûm: ſpes terræ: & ſumma volu-
Cœlicolûm: heu grates quis tibi dignus aget?
Agne, ô Agne: capras tot habent hæc ſæcula fœdas,
Rara ſit vt campo plantula nata tuo.
Agne, ô Agne: olidos tellus iam parturit hircos,
Nil eſt, quàm toto fætor in orbe grauis.
Agne, ô Agne: olim viciſti nonne Draconem?
Vince olidos hircos, ô bone, vince capras.

COENA DOMINI.

QVid prodeſt, dubias ob amicos ducere cœnas,
Nox donec piceis cæca vehatur equis?
Ambroſiâ miſcere epulas, & nectare vina
Tingere, & his longas conciliare moras?
Mox egeſta vices percertas ilia poſcunt
Ollas: ex cœnâ cœnula nulla manet.
Heic opus eſt reparare dapeis, ventremq; latrantẽ
Induciis iterum pacificare nouis.
Quin potius Domini ſacroſanctâ veſcera Cœna:
Durat in æternos illa comeſta cibos.

IEIVNIVM CHRISTI.

CHRISTE, quid eſt, bis viginti noctesque diesque
Quod placuit rigidam ſuſtinuiſſe famem?
Nonne, Deus cum ſis poterant Cererem oſſa parentis
Hæc dare communis ventre latrante cibos? (tis.
Ah amor, ah bonitas: tantos gula noſtra labores,
Tanta tibi fecit tædia noſtra gula.
Mi Deus, ô nimis CHRISTE: meo ſi gutture læſi
Te quondam, veniam da, bone CHRISTE, rogo.

POMVM AB EVA DECERPTVM.

HEü dubitamus adhuc diſcernere iuſſa Tonantis
Hem gula cauſa necis perniciosa fuit. (tis.
Vnius ob Pomi guſtamen ab arbore fracti
Prima reos fecit ſeque ſuosque parens.
Nos quòd eremus habet ſera monſtris: fecit id Eua:
Quòd genus abiectum, fecit id Eua, ſumus.
Quòd tribulos lappasq; ſolum fert, fecit id Eua:
Quòd mala tot miſeros, fecit id Eua, premunt.
Quòd Sathan imperio nos torquet: fecit id Eua:
Noſtra quòd eſt ſterilis, fecit id Eua, fides.
Quòd mens & corpus trepidant ſacra, fecit id Eua,
Quòd nil quàm ſordes, fecit id Eua, ſumus.
Quòd vitium, quòd tetra placent mage, fecit id Eua,
Quòd cor habemus iners, fecit id Eua, bonis.
Quòd ſitis, aura, fames nos perdunt, fecit id Eua,
Quòd faciunt hæc nos, fecit id Eua, reos.
Quòd non cernimus ora Dei, proh, fecit id Eua,
Quòd ſtygios bibimus, fecit id Eua, lacus.

Hem

Heu dubitamus adhuc diſcernere iuſſa Tonantis
Hem gula (proh) tantum pernicioſa malum.

DE CIBO POTVQVE PRISCI & noſtri ſæculi.

OLim ſponte ſuâ quando dabat omnia tellus,
Nec faceret lautos flamma ſuperba cibos:
Panis erant herbæ, patulâ vel ab arbore carpſit,
Mâla manus natis, dulcia ventre, ſuis.
Humor aquæ ſimplex benè guttur & ora rigabat,
Nulla ſuit patinis nauſea, nulla ſcyphis.
Certabant coruis homines viuacibus annis,
Et ſerò morbis contigit abſque mori.
Nunc vbi prima Ceres docuit contundere fruges,
Vaſaque ſunt auidæ Bacchica iuncta gulæ:
Tot ſunt morborum ſpecies, quot in orbe figuræ,
Coruus & eſt albus, qui benè ſemper habet.
Tota nec eſt aliud, carmen quam flebile vita:
Fallor: an eſt ſortis fabrica quisque ſuæ?

IEIVNIA MONACHORVM.

VOs pecus ignauum, nati ſine pectore ventres,
Quos pro legitimâ veſte cucullus habet:
Quùm trahitis deuotâ Deo ieiunia: cur tum.
Quæ paſcuntur aquis non nocet eſſe cibos?
Oſtrea cum conchis, cum Rhombis carpio, trutæ
Anguillæ. mullus, gobio, perca lupus.
Hæc deuota Deo facerent ieiunia? pauper
Quæ vir pro luxu carperet vsque ſuo?

O Aſini

O Asini in paleis, quêis Bachanalia semper,
Tam vulgò Curios vt simulare queant.

PODAGRA.

MAgnates thalamis vexat leuiore calentes
Plumâ & nobilibus nata Podagra cibis.
Quem iuuat ergo Ceres, Venus, Anser plurimus, ille
Nodosus fieri nobiliorquè cupit.

EBRIETAS NOHÆ.

VT Noha vitisator somno iacet inguina nudus,
Cùm rigat insueto guttura sicca mero:
Lumina non aliter fiunt ludibria mundi,
Immodicè vino si sua corda lutant.
Quisquis aues de te rude vulgus iudicet æquè,
Scandala tam diri discere cauere mali.

PLENVS VENTER NON orat libenter.

QVis locus est precibus, verbisquè decenter in aures
Vt penitrent, superâ qui sedet arce, DEI?
Cùm sumpta immodicè sepelit grauis esca cerebrum,
Esca hebetat sensus, cordaquè pigra facit.
Poscit enim benè ieiunas oratio mentes:
Est miser inuito qui rogat ore Deum.

IVDI-

IVDICI POTAORI.

SEmper pectus habes madidũ: res iudice digna:
Est bibulus thorax spongia plena tuus.
Barba tibi semper stillat: res iudice digna:
Non mirum, iudex. Iurcio nomen habes.

IDEM EIDEM.

NEscio quî fiat: non audes plectere, Iudex,
Ebria queîs nox est: ebria tota dies.
Fors ideò, pœnâ ne fortè Zaleucus vt alter,
Sic oculus misere destituare tuis.
Insidias miluo, nec ponit retia, miluus:
Quod caueant alij tu prius ipse caue.

TOLLITE FRAGMENTA.

SI quantum ventri satis est potusque cibusque
Sumsisti, cophinis cætera conde tuis.
Sæpe etenim nos turba sumus magis indiga rerum:
Vt sol idem, eadem sic redit vsque samos.
Reliquias alios debent superantia frusta
Pascere: sic nostram scis quoque velle fidem.
Partem Ecclesiolæ sibi vendicat Irus, & artes
Ingenuas, vitam qui benè pascit, habet.
Vidi ego, manè auidâ qui perderet omnia sauce,
Vespere ieiuno uentre rogaret opem.

CVIDAM SATYRO.

MEne, quod haud vir sum patinis, ais esse superbum?
Anne aliquis vinclum hoc expediisse potest?

Me ne, quod haud vacuo plenos, ais esse superbum!
En logicum hunc nodum quis resecare potest?
Me ne, quod haud agito choreas, ais esse superbum!
Hoc argumentum frangere nemo potest.
Me ne, quod haud facio risus, ais esse superbum?
Næ nullus nexum hunc expedisse potest.
Me ne, quod obluctor vitiis ais esse superbum?
Hercle vir es vinci nescius: hercle vir es.
Vis te depingam: comedo bibo, capra, balatro,
Palpo. ex te cudi en ista moneta potest.

BACCHANALIA.

SEmper abit brutum studia in contraria vulgus,
Nec lex, aut ratio quod sibi dictat agit.
Quum flendum est, ridet: redeunt vbi gaudia plo-
Et miranda facit, consona si qua facit. (rat
Ecce, foret Christi cùm crux & passia flenda,
Sanguine quod lueret crimina nostra suo:
Non est luxuries toto speciosior anno:
Ludo, epulis, Baccho quisque vacare solet.

IN QVENDAM DIE VENeris impudicum.

NEptuni subolem comedis si cypria lux est,
Et, graue, ais, ritulâ de comedisse nefas.
Iuria tamen Veneris peragis de nocte procacis,
Et spurcus spurcâ cum meretrice iaces.
Bis pecas mundo: sexcentis pectore cœlo
Flagitiis onus es, fœtide porce, tuis.

IN

IN MILITES GERMANICOS ducentes in militiam secum fœminas.

DIcite: militiæ pudor execrandus, an vxor
(Scilicet est vxor) debeat ire foràs.
In conchâ Venerem solers deprimxit Apelles:
Cypris & in conchâ debuit esse tua.

THEOLOGO LASCIVO.

ERgo aliam quæris? vix frigida nupera facta est:
Vis dicam quid sis? Spiritualis homo es.
Sidera quàm certos, quàm corpore pharmaca sanos
Tam sanctos homines & tua sparta facit

IN XV NVPTIAS VNO DIE in vno Oppido certatim & ex conspiratione celebratas.

SIc fore prædixit suboles diuina: ministris
Cùm coràm bis sex solueret ora suis.
Ducturiunt hodie pueri impluuesque puellæ:
Immodicè cunctis sunt Hymenea locis.
Heü pudor, heu sæcli nimium Venus improba nostri,
Soluuntur Zonæ quinque decemque semel.
Baucis anus calidos se læta supinat Amori,
Triste senis plorat nimpha decennis opus.
Sic vos sponsorum Domini, qui commoda fertis,
Laxastis vestro sordida fræna gregi.
Sic vos, pcæsidium populi quos ditat & vrna,
Laxastis vestro sordida frena gregi.

Sic vos Paſtores, quibus eſt Eccleſia curæ,
Laxaſtis veſtro ſordida fræna gregi.

AD CONVIVAS SVOS.

SI quando poſitis celebro conuiuia menſis,
Me coqua ridiculum veſpere, manè facit.
Nil holeri incoctam dat de boue ſimplice moſſam
Præter, & in ſtomacho quæ diuturna iacent.
Lar nec odoriferos ſumat flagrantior Indos:
Pro crebra patinâ pagina crebra datur.
Ergo manu plenâ quòd non dat, vapulat hoſpes,
Euclio vel dici ſortibus ipſe meret.
Quæſo, parum vos heic dulceis teneatis amici:
Socraticos æqui conſulitote cibos.
Sum quia mortalis, non me capit eſca Deorum:
Cum Cerere & Baccho lis mimica mihi eſt.

LAZARO HOFMAN TRICE-
ſimatori Eppe: abſtemio defuncto.

SEmper vt exſanguis, mors nullum fronde pu-
dorem
Exhibet, & quæuis optima, cœca, rapit.
Ecce, cui tranſacta fuit ſine vita, Lyæo,
Ecce, heic ſobrietas heic tamen ipſa iacet:
Cùm videas alios Baccho velut amne natanteis,
Iniuſtè interdum Neſtora Parca facit.

Pace

Pace tuâ liceat ſic dicere, LAZARE. parcè
Quòd Cereris caperes munera, nempè iacet
Quòd latices epulasque Deûm damna eſſe putares,
Contraxti immodicè corpore damna tuo.
Sed nunc Ambroſiam & Nectar, ceu Lazarus alter,
Elyſiâ ſelix hoſpes in arce capis.
Veſceris in cœlo, & duodenâ in ſtirpe Iacobi
Iudex, tibia quùm poſtera clanget, eris.
Vtere ſorte tuâ, mi LAZARE: torreat illos
Styx: tu ne digito da, prece ſurdus, aquam.

AD SIGISMVNDVM GEREB
Tranſyluanum.

SIm Salamãdra, graueis quæ frigore ſopiat æſtus,
Feruida dum Bacchi toxica fortè neco.
Tu mihi ſis Phœnix Naſonis ab orbe diſerti,
Carminibus priſcis qui redimiuus ades,
Carmen amo cum vate: ſed hoc vt teſter amicè,
Hoſpes cum famulo cras meus eſſe velis.

AD CHRISTOPHORVM A
Teuffenbach cùm me ad cœnam
inuitaret.

NOn benè cum dominis comedit vir pauper: & hoc eſt,
Quòd nollem Cœnæ mixtus adeſſe tuæ.

Sed

Sed quia fortunæ me ius iubet ire: rogari
Nolo viro â tanto tantulus: ire volo.

SALVTATIO SVB aduentum.

SAlue magne senex Mauortis gloria salue:
Heic ego quo faciem sisto volente meam.

EIDEM A COENA.

SImplice pro venâ mihi dulcia vina dedisti,
Paupere pro diues carmine cœna fuit.
Nec satis hoc: loculos mihi tu quoque deinde cap(ci)
Implesti multo Cæsare, large meos.
Nonne vel Augustus, Mecœnas nonne vocandus
O studiis heros pòst celebrande meis.
Tu modò scribe tuum quoquè me: mihi crede super(stes)
Cui sacra Musarum dulcia, semper erit.

IOSEPHO AMMAN NObili Stiriaco.

SAlue, nobilium decus virorum:
Qui pro versiculis parùm politis
Das quæ cuncta queant polire, suluum
Aurum intellego, prandiumque: Salue.

NICO

NICOLAO BLVMIO BREGÆ me hospitio suscipienti.

MEæ num memor es profectionis,
Bregensis pie Principis sacerdos,
Meæ Leucoreæ profectionis?
Quùm dulcem leporem dares edendum,
Quando inquam, leporem dares edendum
Tam dulcem, vt moueat vel heic Saliuam
Sustentata fames vbi reuortit.
Si possem lepori tuo leporem
Meum reddere: ibi vt tibi Saliuam
Mouerem (licet hercle talionem
Rideres) mihi nempe gratularer.

MARTINO STVRMIO Theologo.

QVam causam rear esse? iam duello,
Sturmi, Barbaries agone vicit
Gregem, numina vera sed professum.
Qui Christi roseo cruore tinctus
Vexillo roseoque militauit.
Et iam nos miseros breui fugabit:
Nostris aut domibus necabit ense
Nos nostrosque: Deus Deus resistat
O Sturmi: hercle pudor licet fateri est.
Pòl verum tamen heic ego prosabor:
Poclis militiæ, domique poclis.

Luxu militiæ domique luxu
Certamus: nihil hostis acer horum
Patrat militiæ domique Turca.

FRIDERICE TAVBMANE Poeta Coronate.

CVius in ore nouem posuere cubilia Musæ,
Cuius & est Phœbi curia pectus, ades.
Dispeream, vel teste Deo, compescere ventrem
Si nolim solo cum sale pane meum:
Dum modò mi liceat cœnas & prandia tecum
Sumere, donec & heic me Deus esse volet.
Vno mense mihi tecum mensa vna Saliuam
Sæpè mouet: reliquos nauseo quippe cibos.
Exhibet Ambrosiam dictis. & nobile Nectar
Fundit ab indultu, France poëta, tuo.
O Venerum, salium, doctorum ô cella leporum:
Felix cui tales contigit esse cibos.

DE COLVMBIS TAVBmanianis.

NIl sapiunt aliæ, comedo si fortè, volucres,
Si non exhibeat mî quoque mensa tuos,
O tam macte bonis auibus: Taubmane, Columbæ
Ad gustum hæ faciunt, semper amice, meum.
Sed quoniàm tam sæpè pipunt connubia vestra,
Nunc haueo pullos vsque comesse tuos.

ERICO

ERICO LESSOTÆ LVSTRAtori militum Cæsarianorum.

HAud, Generose vir, est verum, quod castra secutis
Nulla fides etiam dicitur esse viris.
Miles Abramus erat: quo milite nostra triumphat
Relligio: Dauid, Iudita miles erat.
Miles erat Iosue, Gedeon, Patris vnica proles
Christus erat miles, militiæque decus.
Nostra nec est aliud, quam bellum & prælia, vita:
Militat at Christo qui duce victor erit

EPITAPHIVM LVRCONIS.

HEic iacet infelix post vltima pocula lurco,
Cui, Cyathos præter, nil benè dulce fuit.
Vnde decem ter, & hoc mirum, vix attigit annos:
Naufragus instygias iam penitrauit aquas.
Discite lurcones vos: discite viuere vitam,
Quæ decet: æternam qui benè vixit habet.

DE QVODAM PAPA BIBENTEvinum ex Talyâ oppido Hungariæ.

HVngara nî Getici sentiret acynacis iras,
Nonne satis felix terra vocanda foret?
Vt taceam reliquas, queis cœlitus auctâ superbit
Dotibus, est sapido nobilitata mero.
Incola quâ passim generosas educat vuas,
Est locus: hungarice Talia nomen habet.
Hinc Bacchi latices auexerat Itala tellus,
Dulcia Pontifici dona ferenda suo.

EV Mox

Mox Pater admiscens cupidis noua pocula labris
Laudat, & vnde liquor sit bonus iste rogat?
Subiicit huic aliquis, cui nota locique meique
Conditio: est matri Talia nomen: habes.
Gratulor ego mihi, Papa dicit, talia nobis
Vina: patrem sanctum talia vina decent.

DE ALIO QVODAM PAPA ACcipiente dono vinum ex Santo Vngarico Oppido.

IAm didici verum: tractare fabrilia fabros,
Gaudere officij nomine quenque sui.
Hoc exempla docent Romani præsulis, olim
Cui sancto Santo nunen sancta dedit.
Sancte pater, bibe vina: licet: quia Sancta sed hæc sunt
Hinc titubes, Sancte tu quoque vina bibe.

IOANNI FABRICIO.

HAnc mihi narrasti historiam vel, Ioane, fabellam,
Hanc iterum versam carmine sacro tibi.

DE SVECO LOQVACE. Ialace.

SI sic Marte potens esset, velut ore, Sueus?
Quilibet hunc belli diceret esse Deum.
Si sic arte potens esset, seu Marte Sueus
Nocturno: quis eum diceret esse hominem?

IN

IN PICTVRAM TEMPERANTIÆ.

QVid sibi vult mulier, solers quã fecit Apelles,
Ista, quòd in patera lumina fixa gerit?
Vnam dextra tenet, quam masculà tollit in aurem,
Pendula quã fluidum terequé sinistra merum.
Edocet, vt sic quisque sibi quoque vina ministret.
Quantum habeat pateris cernat & ante suis.
Vina modum posunt: si desit regula vino,
Certa est naturæ pugnaque mors que tuæ.

INTEMPERIES QVORVNDAM ob diuersam religionem doctos & bonos viros perperam odio prosequentium.

EGo homines fidei diuersæ, at arte politos
Ingenuâ atque bonos, qui volet esse Timon
Dixerit ille, nimis sapiendo vt morio fiat:
Exuat humanæ conditionis opus.
Carnifex quòd carnifices non flagret, honesti
Est ratio: et doctus dignus amare vir est.
Ad nostros olidus faceret conuiuia vsus:
Si de Pegaseo fonte bibisset aquas.
Atque suas, nosset si plus, quàm scalpere pelles.
Esset amicitiæ, portio certa meæ.
Hoc si religio vetat: ô vos ite, valete.
Hinc procul hinc omnes, Ethnica corda, Sophi.
Absit Aristoteles, Cicero, Plato: quilibet absit
Philosophus, Latium, Græcia quosue tulit.
Heus, sciole, heus: Christum & Paulum occimis?
immò ego noui,
Dixit ane Christus, dixit & alter aue.

Lucia

Mox Pater admiſcens cupidis noua pocula labris
Laudat, & vnde liquor ſit bonus iſte rogat?
Subiicit huic aliquis, cui nota locique meique
Conditio: eſt matri Talia nomen: habes.
Gratulor ego mihi, Papa dicit, talia nobis
Vina: patrem ſanctum talia vina decent.

DE ALIO QVODAM PAPA ACcipiente dono vinum ex Santo Vngarico Oppido.

IAm didici verum: tractare fabrilia fabros,
Gaudere officij nomine quenque ſui.
Hoc exempla docent Romani preſulis, olim
Cui ſancto Santo munera ſancta dedit.
Sancte pater, bibe vina: licet: quia Sancta: ſed heus!
Hinc titubes, Sancte tu quoque vina bibe.

IOANNI FABRICIO.

HAnc mihi narraſti hiſtoriam vel, Iane, fabellam,
Hanc iterum verſam carmine ſacro tibi.

DE SVECO LOQVACE, ſalace.

SI ſic Marte potens eſſet, velut ore, Suecus:
Quilibet hunc belli diceret eſſe Deum.
Si ſic arte potens eſſet, ceu Marte Suecus
Nocturno: quis eum diceret eſſe hominem?

IN

IN PICTVRAM TEMPERANTIÆ.

QVid ſibi vult mulier, ſolers quã fecit Apelles,
Iſta, quòd in paterâ lumina fixa gerit?
Vrnam dextra tenet, quam maſcula tollit in auras,
Pendula quâ fluidum fertque ſiniſtra merum.
Edocet, vt ſic quisque ſibi quoque vina miniſtret.
Quantum habeat pateris cernat & antè ſuis.
Vina modum poſcunt: ſi deſit regula vino,
Certa eſt naturæ pugnaque morsque tuæ,

INTEMPERIES QVORVNDAM ob diuerſam religionem doctos & bonos viros perperam odio proſequentium.

ERga homines fidei diuerſæ, aſt arte politos
Ingenuâ atque bonos, qui volet eſſe Timon:
Næ facit ille, nimis ſapiendo vt morio fiat:
Exuat humanæ conditionis opus.
Carminiſex quòd carnifices non flagrat, honeſti
Eſt ratio: at doctus dignus amore vir eſt.
Ad noſtros olidus faceret coriarius vsûs:
Si de Pegaſeo fonte bibiſſet aquas.
Atque ſuas, noſſet ſi plus, quàm ſcalpere pelles,
Eſſet amicitiæ, portio cerdo meæ.
Hoc ſi religio vetat: ô vos ite, valete,
Hinc procul hinc omnes, Ethnica corda, Sophi.
Abſit Ariſtoteles, Cicero, Plato: quilibet abſit
Philoſophus, Latium, Græcia quoſue tulit.
Heüs, ſciole, heüs: Chriſtum & Paulum occimis? immò ego noui,
Dixit aue Chriſtus, dixit & alter aue.

Lucia

Lucifer in cœlis, Adam peccauit in horto:
In mediâ Sodomâ Loth bonus ipse fuit.

SYMPOSION POETICVM.

LECTORI MEO,

ZOilus his etiam si quis (vel in optima pronos
Angulus vt Momos nunc habet omnis) erit.
Qui te fortè roget, Lector, cur ista velimus
Exstare, ad modicos quæ fabrefacta scyphos.
Redde: iubet grates nos dicere, quicquid agamus,
Inque pia excelsum vota vocare Deum,
Paulus: Discipulo quoque qui interdixerat vndas,
Iusserat & modico quærere sana mero.
Præbibit, haud cyathos Bocatius ebibit amplos,
Dumque alij potant, se ex Helicone rigat.

ALIVD:

AD IOANNEM BALOGVM.

EST vna ex nostris mihi certa pedissequa Musis
Siue domi faciam carmina, siue foris.
Annotat illa citò si quos ego abortio versus,
Et mox furtiuo concipit omne stylo.
Hæc vbi amicorum pellustrant lumina, poscunt
Vt reliquis lucem cernere iuncta velim.
Quæ nihil artis habent, nihil indolis, anne politis
Calcographi dicam carmina digna typis?
Prime sodalitij cur poscis talia nostri,
Et sat digna putas, cari Baloge, legi?

Tu quoque idem poscis, nimirum vt amator amato
Quisque suæ tantum Phyllidis ora probat.
Nec tamen inficias eo: non mora longa poetam,
Sed facit ingenium materiesque bonum.

AD SEVERINVM SCVLTETVM de Turcicâ puellâ Epperiesini solemniter baptizatâ. & antea Immi, iam Elisabetha vocatâ.

HAC paterâ voueo, reuerende Affinis, vt illæ
Turcica sit veri filia vera Dei.
Immo omnes fiant Mahumeti nomen honorant
Quicunq;, ex animo hoc, vir venerande, precor.

PETRO MELCERO Podagrico.

NObilis & generose vir hoc tibi præbibo poclum,
Vt tua discedat curua podagra procul.

MICHAELI WIRT NOTARIO.

EPperiensis aue flos, atque Notarie salue,
En, iam quò valeas tuque tuique bibo.

AMICO CVIDAM CVM MIHI propinanti responderet:

SIt tibi saluti: puluis & vmbra sumus:

Meum

Meum Anacreontium.

Vt tibi longa Salus fiat, producis. an autem
Sit mihi, sall vt sin? voll is es. vmbra sumus.

EZECHIEL HEBSACKER in nuptiis S. S.

VIr reuerende bibam, quoq; viuo vtroq; parens
Vt quondam hæc fiat filia Sponsa, suo. (te,

CASPARI FRANCO.

FRance, poetarum non vltime, prosper vt annum
Transeat hic nobis, hunc modo libo schyphum.

EIDEM CVM DE CONIVGE ægrotante loqueretur.

VT valeat natumque ferat Iunone secundâ,
Hoc tibi sacrifico, France poeta, merum.

STEPHANO DEBRECINO.

CÆsarij pars magna fori Debrecine, propino
Hoc pro Cæsariâ, proque salute tuâ.

CRISPINO SCEPSIO.

NObilitatis honos, voueo, en Crispine, bibendo,
Ne posthac Turcus bella secunda gerat.

STEPHANO ORMANDI.

INolite flos procerum, quos Hugara terra salutat
Ecce diu vt valeas, tuq; tuiq; bibam,

EIDEM

EIDEM CVM IPSIVS FILIOlum ex baptismate suscepissem.

COmpater egregie, hic noster bene crescat vt infans,
Ex hoc, Ecce scypho gutture vina traham.

ANTONIO SCHOLCIO.

NE Geta continuet felix, te iudice, bellum,
Hunc, Scolci, Calicem sacrificabotibi.

EIDEM.

SCholcius est Iudex: cur mirer? nomina rebus
Sæpè suis faciunt inuoitata fidem.
Sed tamen vt res priua ac hinc respublica fructum
Post ferat: Epperies saluet hocce Scypho.

ANTONIO PLATNERO.

DOcte vir, & Reuerende patrone, tibi hocce propino,
Calicem vt Christus sospitet usq; tuam.

SIGISMVNDO MOES.

SIl, Sigismunde, datur, generose, bibendo: salutē
Opto, tibi longam fata benigna duint.

THOMÆ HANTSCHELIO.

VT patrios venias, mi Thoma, sospes ad oras,
Hoc mea iam dulci labra rigabo mero.

FRIDERICO MELIORI.

QVid mordace animum curâ angis? præbibe. vi
præsentes animos cordaq; læta facit. (num

GEORGIO TILENO.

QVod felix fauſtumq; tibi ſit id opto bibendo,
Et precor huic faueas vsq; Tilene, viro.

HANNIBALI SCHONHOFERO.

MI popularis. an hôc noxam eluis. ebibe vitrum
Si placet atque iuuat, cætera Chriſtus aget.

ERICO LESSOTÆ.

HEm tibi militiæ luſtrator ſtrenue noſtræ
Præbibo, ne poſthac vincere Turca queat.

EIDEM.

NObilioris honos clariſſime Martis & artis,
Hoc mihi tu cyatho ſalue, aue & vsq; vale.

GEORGIO SCHOLCIO.

EXperiar, SCHOLCI, faciam heic pia vota, podagram
Num poſſim hoc pacto tollere fortè tuam.

REGINÆ BORNÆ.

BOrna vinûm ſtuper & miraclum, porrige, tecum
Sit mihi communis potus, vt eſca fuit.

EIDEM.

SI vinum biberes: biberem, quo ſalua maneres
Æternùm: at Cereris vis ea & ipſa poteſt.

SIGIS-

SIGISMVNDO GEREB.

HOC tibi docte Gereb, fæliciter æmule Lipſi,
Offero, ſit Genius Lipſicus ille tuus.

GEORGIO FLORIANO.

CVi pateram hanc pi opino? tibi, reuerende Georgi,
Cæſar vt hoc anno proſpera bella gerat.

EIDEM.

Ægra tibi coniux, venerande vir: hâcce ſed illi
Iam voueo paterâ ſit benè priſca ſalus.

IOHANNI MIHALKO.

NEc te præteream fraterne Mihahalko, propino,
Par, fidus, conſtans ſis in amore mihi.

EIDEM.

IAnulus vt Ianus quondam tuus ille tenellus
Fiat, ego hoc tecum diuido nempè vitrum.

IOANNI FERSIO IN STEPHAni Molleri nuptiis.

ORnatiſſime vir longùm Stephano huicce ſecundum
Coniugium ſponſo ſit, tibi ſitque mihi.

AD EVNDEM.

CIbinij ſalue non vltima gloria, Ferſi,
Hem bibo, ſit thalamo Iuno ſecunda tuo.

STEPHANO MOLLERI Sponſo.

VT vobis Dominus multos indulgeat annos,
Et, Stephane, incolumis ſit benè vterque bibo.

STEPHANO PEREGIO.

HOc tibi amicitiæ noſtræ flos, ecce, Peregi,
Præbibo, deficiat ne tua ſorte fides.

AD CHRISTOPHORVM DARholz ab ipſius Phlebotomiâ.

OPtime mîs gregis hoc, Mecænas, præbibo poclum,
Vt proſit longùm phlebotomea tibi.

DE EODEM AD IOANNEM BAlogum in prandio Caſſouienſi.

SI qua ſalu hauſtu datur, hunc tibi, Iane poeta,
Offero, quo valeas tu Dominusque tuus.

RESPONSIO BALOGI.

PRoſperet hunc hauſtum, vates, tibi Chriſtus Ieſus,
A quo noſtra fluit, ſanguine tincta, ſalus.

AD GEORGIVM SABO IN ipſius Prandio.

HVnc generoſe tibi cyathum propino Georgi,
Cur quæris? valeas tuque tuique diu.

EIDEM IBIDEM.

ESt tibi filiolus, precor, ecce, bibendo, ſit vſque
Ille tuæ quondam ſpes generoſa domus.

IOAN-

IOANNI BALOGO.

HOc diuturna tuæ cyatho ſtipendia vitæ
Opto, vir ô noſtræ ſidus amicitiæ.

RESPONSIO BALOGI.

IAne poëta, nouem decus immortale ſororum,
Doctiloquo clariam qui ſeris ore chelyn.
Quas mihi facundo modò proſers ore loquelas,
Has vult eſſe ratas Filius ipſe Dei.

MARTINO BRECHTELIO CVM ob filiolam vnicam in cœnâ triſtaretur.

CVr defles natam? Ganymedes illa Iehouæ
Elyſium Nectar ſanctula & ipſa bibit.
O Martine doles ſerò: non rex ita Dauid
Indoluit. bibe iam vina, ede lætus eris.

NICOLAO ORLAI CVM FILIOS ſuos tres Viennam mitteret.

VIr generoſe, cui ſtat apertum Cæſaris ipſum
Cor, bibo quo natis læta ſit aura tuis.

TRIBVS IPSIVS FILIIS IN Prandio.

VT ſalui Auſtriacas pariter veniatis ad oras,
Fratribus hoc vobis, ecce, propino tribus.

CHRISTOPHORO DARHOLZ Cum ipſius filiolum Alexandrum ſuscepiſſem.

ISta dies Chriſto natum ſacra mancipat vnda,
Vas nec Adæ veteris iam ſinit eſſe, tuum.

Vt latere hodie tua poscit amandula proles,
En cape lætitiæ signa meæ atque tuæ.
Dum choreas alij ducunt, nos, optime, Nato
Dicamus grates, Compater, vsque Dei.

IOANNI BALOGO IN TONstrinam.

IAne, quid hæc solitum præter, lux tota coruſca (est?
Pura serenato vertice nempè tuo.
Iane serena animos etiam & tua nubila pone,
Vt possis, hospes iam meus esse velis.
Esca vorax mihi lucius est, comedemus, vt ille
Pisciculos liquidis dente peredit aquis,
Nosque lupos alius lupus olim terra vorabit,
Sed serò & fato pœna sit ista bono.

DANIELI CONRADO.

ANne bibo quoties alicui voueoque salutem,
Me siccare putas & vacuare scyphos?
Falleris: iste meus mos est, & Apostolus vsque
Me grates iussit dicere quicquid agam.
Ipse, inquam, iussit fieri hoc vas nobile Christi,
Immò ipse æterni filius ipse Dei.

ANDREÆ CAPY.

SPendida nobilium salue hoc mihi, fama virorũ
Quo tibi commendo meque meosque scypho.

AD IOANNEM CAPY.

GLoria Musarum & Martis generosa, Ioannes,
Rectius vt valeas, spes Capyana biba.

GEORGIO CAPY.

EN quoque te vitro hoc flos ô generose saluto,
sis patriæ, voueo, stella coruſca tuæ.

LADISLAO PETE.

MAgnifice illustrisque vir ipsius inclita Martis
Gloria, iam bibo, tu prospera bella geras.

RESPONSIO LADISLAI P.

HOc faxit nostras armans in prælia dextras,
Is quoque te seruet, docte poeta, diu.

IOANNI FIGEDIO.

IVre tibi quoque fausta precor, dum præbibo vinum,
O salue Hungarici splendida stella soli.

RESPONDIT I. F.

SAlue etiam Aonij flos generose chori.

AD EVNDEM.

ECce ad te repedo & rursus nunc offero versus,
Cur sed aues fiat noscere. causa patet.
Quem fluuiali hodie nos babtizauimus vndâ,
Darholci quondam flos sit & ipse domus.

REDDIDIT I. F.

FAta gerent morem nostris, non ambige, votis,
Autor ei nostræ vita salutis erit.

EIDEM.

VT tantos inter proceres, vir magne, receptet
Mensa duos posthac hospita sæpè, precor.

RESPONDIT I. F.

ASpirante Deo sorte & crescente deinceps
Tempus, quo crebri conueniamus, erit.

CHRISTOPHORO KORLATH.

MArtie vir, decus Hunnorum bellacibus ausis,
Me hoc tibi cum studiis offero vite meis.

NICOLAO BORNAMISSÆ.

QVæ petis à vero tibi Numine cunque, bibendo
Imprecor hoc modicè Nicolee, ecce, vitro.

IOANNI DESSOFIO.

TV quoque nobilium pars aurea, clare vir armis,
Hem precor vt longe tempore sospes agas.

GABRIELI RAKATZAI.

QVem satis euexit, porrò euehit ardua virtus,
Nonne tibi, ea Gabriel, fausta bibendo precer?

NICOLAO SECRETARIO.

HOc tibi propino, quem Teuffenbachius ardet,
Vt possim quondam Compater esse tuus.

MICHAELI KELEMESIO.

NEc te flos iuuenum generose Camœna tacebit
Nostra, tibi voueo te quod habere iuuat.

FRANCISCO KELEMESIO.

ALma salus tibi det Francisce, tu serius ævum,
Te videat Crœsum fulgidum honore suum.

PAVLO

PAVLO DARHOLZIO.

NAm quid ego tibi Paule precor generoso bibendo?
Quàm Deus vt nostras imbibat aure preces.
Aure preces nostras Deus imbibat hostis vt anno
Occidat hoc noster, pestis acerba Geta.

EIDEM.

POmptius ad patinas dicis me effundere versus,
Non patina est doctum pagina carmen habet.
Sum tamen interdum Crœsus, licet otia desunt,
Irus & interdum sit mora longa licet.
Scire cupis causam, non semper inaudit Apollo,
Quando ego cœlestes ariete pulto foras.
Sedibus æthereis furor occupat ille poetas,
Et Genius vates, non sua cura facit.

AD EVNDEM.

VVlgus amicitias probat ebrietate prophanum,
Sed sic, Paule, mihi nullus amicus erit.
Namque bibo vt viuam, haud viuo vt bibam & hauriam vt anse,
Plus quàm naturæ quod satis esse queat.
Sæpè parumque bibo tamen: edocet illa Machaon
Quilibet, hunc medicis morem ego nempè gero.

IACOBO CNEMIANDRO.

HOc dignitate æuum tibi sit, clarissime Doctor,
Serius vt fiat, dono tibi hocce merum.

IANO CVRERO.

EN viuas, valeas, Muſeâ per inſtrumenta
Suauior ô ſuaui pectide, Iane, bibam.

OSWALDO SVMMERO.

VT ſit opus Zephyris nec hirundine vatibus vnâ,
Hoc, Summere, tamen præbibo verſiculo.
Cur quæris? veluti tu luces noctibus æquas,
Sic tibi ſors poſthac æqua ſit vſque, precor.

AD IOANNEM BALOGVM de aquilâ farinaceâ.

DIuiſi hanc Aquilam tecum, Baloge, placentam,
Vt poſt diuiſum cor quoque mecum habeas.

RESPONSIO BALOGI.

DEt Deus vt quod & ipſe precor, quod & ipſe precaris,
Vnum ſint iam, quæ corda fuere duo.

ANDREÆ PLACCIO.

GRatulor ex animo vir prudentiſſime, ſaluum
Ac nunc incolumem te rediiſſe domum.

ANTONIO SCHOLCIO.

HVnc ideo cyathum, Iudex ampliſſime, ſumo,
Vergat vt in thalamos bella puella tuos.

EZECHIELI HEBSACKER.

HEm reuerende bibam paſtor, poſt morbida fata
Vt valeas poſthac tuque tuique diu.

FRI-

FRIDERICO VSRAI.

HOc etiam Friderice tibi venerande propino,
Ne Geta trux bellum Marte fauente gerat.

MARTINO LANGIO.

QVando ita pergere pergo tibi quoque præbibo, Langi,
Vt citò diſpereant quæ tibi cunque nocent.

PETRO MELZERO.

NE qua tuos vexet ſpecies morbi amplius artus,
Hoc Melzere bibam iam generoſe vitrum.

CHRISTOPHORO AEGIDIO.

OPto tibi hâc paterâ, vir circumſpecte, ſalutem,
Et precor vt felix luce fruare diu.

SAMVELI ROSNAVVERO.

ECce ſcypho hoc ſaluere volo te, nobilis heros,
Vt me mutuiter, quod fit, amare queas.

FRANCISCO STIGLICIO.

DIcite conuiuæ, cui tandem hoc offero vitrum?
Ni fallor faux eſt arida Stiglicio.
Dulce melos cecinisſe diu quia guttura ſiccat,
Hoc cantatricem fiſtulam inunge adipe.

ANDREAE SINGERO.

MVſicus es, & Muſici habes cum nomine & omen,
Sed ſi Stiglicio dulcior eſſe potes:
Dicam ego, Singerus veluti modulamine vincit,
Sic cyatho ſuperat Stiglicium auesque ſuas.

EIDEM.

DA mihi da, Singere. tuam, celeberrime, dextrâ,
Quod nolis multo sic natitare mero.
Nunc etiam mœstæ volucres nunc Orphea deflent.
Is tamen, in siluis dum cecinisset, obit.

ANTONIO SCHOLCIO IVDICI Ep. cum celebraret sponsalia cum Sophiâ Ferberianâ.

ECce datur sapiens sapienti nupta marito,
Hoc fatale vocem nonne ego coniugium?
Ergo vt nominibus quoque res respondeat ipsa,
Nunc Sophiæ, Iudex, præbiba vina tuæ.

MELCHIORI WERNERO APVD fontem acidum.

HAs acidas vndas tibi præbibo, Melchior, olim
Elysio vt viuas fonte bibamus aquas.

CONRADO GRONEBERGIO.

SVstentata sitis, Conrade, est gratior: hinc est
Quod fons te capiat nuperus ille magis.
Interpone mero faciles abstemius vndas,
Me capiunt, dicis, nupera vina magis.
Sic ego vina & aquas bibo, ne mihi pocula vini
Nausea sint nec aquæ. vina ita aquumque bibas.

IOACHIMO SIGLERO.

QVid tibi pro cœnâ reddam, Ioachime, quid inquam
Reddam ego pro lautis pauper inopsque cibis?
Sis patiens: nisi gratus ero, mihi fronte videndas
Hospitis ingrati ferreus vre notas.

STE-

STEPANO WAGNERO.

QVam mihi tam largus, Wagnere diserte, dedisti,
Sexcentis cœnam soluam ego versiculis.

ERICO LESSOTAE.

VEspera iam venit, nec sessum est tempore paruo
Tu nec, Erice, iubes, hospitem abire domum.
Me ciuilis honos venientia & astra modestè
Surgere de mensâ, primum & abire iubent.
Ergo precor vobis noctem, quicunque manetis,
Felicem, & grates heic ego linquo meas.
Quæso date & veniam, si à me vel ore profectum est,
Quod fortasse oculos læserit, aut animos.
Symbola conuiuis hæc sunt: nil exeat extra:
Omnia sub tacitâ dicta fuere resâ.

IOANNI WASCHMANNO.

DIc mihi, nonne diu tacitè, Waschmanno, molestum
Me dudum mandas hospitem abire domum?
Dic mihi, ne tandem patientia læsa sequatur
Me cum promerito, fax mea, fuste domum.

SIMONI LEINERO.

IAm nunc tempus adest quo fas est surgere mensâ,
Hospitis & largos sistere eundo cados.
Qui volet, is maneat tamen: ast, Leinere, necesse est
Surgam ego, ne voti sim immemor ipse mei.
Ergo hinc ibo prius, reliqui quà forsitan ibunt,
Queis dulce est magnos euacuare scyphos.

Es-

Et dum fortè abeo primus, pars cætera tandem
Discet ab exemplo claudere colla meo.

MARTINO WINERO.

VOs quoties adeo, quæris, Martine, quòd illinc
Rursus equo ad nostros vix benè visus eam.
Osne tibi hoc, an cor dicet, sat nescio: sed si
Vis nectam tecum, dulcis amice, moras,
Ne cyathis me, quæso, probes, an ameris. imago est
Hoc ac plebeiæ tessara amicitiæ.

M. IOHANNI BOCATIO Affini suo salutem dicit Seuerinus Sculteti.

PETIS CHARISSIME AFfinis, vt ego quoque in Castra tua Poërica expediam militem aliquem. Tardè & postremum omnium me mones, peccas & in hoc quod nullum militi meo locum assignas. Quid agam? amicitiæ & affinitati nostræ aliquid tribuam, petitioni tuæ annuam. Sed quia nullum locum (omnes enim stationes Castrorum tuorum plenæ sunt militibus) pro satellite meo certum assignas post principia stabit. mandabo tamen vt strenuè pugnet contra detestandem ingluuiem pro sacrosanctâ temperantia præsertim contra Bachum nostri Ecclesiastici ordinis hominibus imperantem. Proinde sumam hunc Militem meum ex castris Theologicis scripturæ sacræ & D. Augustini, qui in libro sermonum ad fratres in Eremo, Serm: 33. de scandalis & incommodis Ebrietatis sic scribit:

O doloroſa ebrietas,
Omnium malorum mater,
Omnis luxuriæ ſoror,
Omnis ſuperbiæ pater.
O Ebrietâs, tu mentem cæcas,
Iudicio recto cares:
Conſilium nullum habes,
Blandus Dæmon es,
Venenum dulce es,
Peccatum ſuaue es.

O Ebrietas, Nunquid non per te inflammatur ſtomachus?
Nunquid non per te putreſcit anhelitus?
Nunquid non oculos cæcas?
Nunquid non membra cuncta debilitas?
Nunquid non mortem acceleras?
Nunquid non burſam euacuas?
Nunquid non domunium recipis ab homine?
Nunquid non, beſtialem & irrationalem, te diligentem, tecum ducis?

O ebri-

O ebrietas, discant te, diligentes, te agnoscere,
Discant te deuitare,
Iterum discant te deuitare
Discant te velut mortem effugere:
Quoniam qui te dilexerit,
Regnum Dei non consequetur.

IDEM AD SACRAS Virgines

EBrietas est flagitiorum omnium mater culparumque materia,
Radix criminum,
Origo vitiorum,
Turbatio capitis,
Subuersio sensus,
Tempestas linguæ,
Procella corporis,
Naufragium castitatis,
Amissio temporis,
Insania voluntaria,
Ignominiosus languor,
Turpitudo morum,
Dedecus vitæ,
Honestatis infamia,
Animæ corruptela.

Ephes: 5.
Ne inebriemini vino in quo est ASOTIA.

Lucæ 21.
Cauete ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate.

1. Corinth: 6. Gal: 5.
Potatores & Ebriosi regnum Dei non possidebunt.

FINIS.

Szabó II. 265.

V É G E.